12304.aaa.87

FABULÆ

IN USUM SCHOLARUM.

SELECTÆ

OPERÂ ET STUDIO

GEORGII WHITAKER, A.M.

GRAMMATICÆ SCHOLÆ MAGISTRI SOUTHAMPTONIÆ.

QUID RIDES?—MUTATO NOMINE, DE TE FABULA NARRATUR. HOR.

TERTIA EDITIO,

AUCTA ATQUE EMENDATA.

LONDINI:

IMPENSIS B. LAW: PROSTANT VENALES APUD C. LAW, VICO AVE-MARIA-LANE.

1798.

BRITISH
MUSEUM

DEDICATIO.

FABELLAS quaſdam, e variis Auctoribus in uſum Puerorum collectas et fortaſſè aliquantulùm emendatas, doctiſſimis Scholarum Magiſtris dicat, qui communi bono cupit inſervire,

GEORGIUS WHITAKER, A.M.

GRAMMATICÆ SCHOLÆ MAGISTER,

CLAUSENTI,

IN COMITATU HAMPTONIENSI.

PRÆFATIO.

INSTITUTIO puerorum maximam poſtulat reverentiam; utpote quæ infantem animum excolat, generis honorem ſervet atque perpetuet, amicis præbeat voluptatem, et non tantum privato ſed etiam publico commodo proſpiciat. Huic quicunque operam navabit, laude erit dignus; quicquid aliud ſibi promiſerit præterea. Nôrunt fere omnes nihil opus eſſe Ingenio ad optimas Auctorum partes eligendum: Æque quidem eſt manifeſtum in præſenti conatu haud multo opus eſſe Judicio. Tempus autem maxime poſtulatur, et patientia.

Fabularum

Fabularum utilitas in pueris instituendis a principio Doctrinæ probata est; et non raro inter homines (si historiæ profanæ aut sacræ credatur) se in dignitatem vindicavit.

Usu ergo admisso, pro se loquatur hæc Collectio fabularum.

PRO-

PROPERTIES

OF THE

PARTS OF SPEECH.

1. A SUBSTANTIVE has ſix Properties; Declenſion, Gender, Number, Perſon, Caſe, Concord or Government.

2. An Adjective has ſix Properties; Declenſion, Compariſon, Gender, Number, Caſe, and Subſtantive.

3. A Pronoun has ſeven Properties; Declenſion, Gender, Number, Perſon, Antecedent or Subſtantive, Caſe, Concord, or Government.

4. A Verb has ſeven Properties; Mood, Tenſe, Voice, Conjugation, Number, Perſon, and Nominative Caſe.

5. A Participle has eight Properties; Tenſe, Voice, Conjugation, Declenſion, Gender, Number, Caſe, and Subſtantive.

6. What a Conjugation couples.

7. What a Præpoſition governs.

8. What an Adverb is joined to.

RULES

RULES FOR CONSTRUING.

1. TAKE, firſt, ſuch Adverbs or Conjunctions, as the Senſe may naturally require; and Vocative Caſes, if there be any.

2. The Nominative Caſe is the ſecond Thing that follows, together with ſuch Words as belong to it.

3. The third Thing in order are ſuch Words as are governed by the Nominative Caſe.

4. The fourth Thing that follows is the principal Verb.

5. After the Verb comes whatever depends on it, whether Caſes or Moods. N. B. The Infinitive is frequent.

6. Adverbs expreſſing the Circumſtances of Action, naturally come after the Verb.

7. The Ablative Abſolute, being a diſtinct Member, may come before or after the principal Sentence.

OBSER-

OBSERVATIONS.

Observation 1. The two previous Pages ſhould be inculcated with nice Care, a perfect Knowledge of them being indiſpenſibly required.

Obſervation 2. The Brevity of the moral Reflection will allow it to be conſtrued with the Fable.

Obſervation 3. The few Notes ſubjoined will aſſiſt the Pupils, and, if properly attended to, will ſave the Maſter much future trouble.

Obſervation 4. Each Fable ſhould be correctly tranſlated, carefully repeated, and accurately parſed.

Obſervation 5. The Compiler has been ſo cautious in his Selection, as not in a ſingle Inſtance to deviate from the pure Rules of chaſte Delicacy.

Laſtly, Good Intention muſt apologiſe for numerous Alterations from the original Texts.

FAB.

Diverſorum Auctorum Fabulæ.

FAB. I.

De CANCRO *et* FILIO.

UT prorſus iret filium retrogradum Cancer monebat: at (*a*) filius;—*i præ*; *ſequar.*

MOR.

Alteri ne objice, quod tibi objici poteſt.

(*a*) Subaudi, Reſpondet.

FAB. II.

De COCHLEIS *et* COLONO.

COLONUS aſſabat Cochleas. Cum audiret eas ſtridentes, ait; (*a*) Domibus incenſis, vos *canitis?*

MOR.

Quod intempeſtivè facis, abſurdè facis.

(*a*) Domibus, ablat. caſe taken abſolutely, from Domus, of the ſecond and fourth declenſion, wanting *me* in the ſingular number, *mi* and *mis* in the plural.

FAB. III.

De VULPE *et* LARVÂ.

LARVAM Vulpes reperit mirâ arte perfectam et vehementèr clamitat; O quale ſine cerebro caput!

MOR.

" O formoſe Puer, nimiùm ne crede colori."

FAB. IV.

De CANE *et* UMBRÂ.

CANIS ore ferens carnem ac fluvium (*a*) tranans, Umbram carnis ſub aquâ viſam cupide captat; et ſic eam, (*b*) quæ in faucibus erat, illico perdit.

MOR.

" Ego ſpem pretio non emam."

(*a*) Tranans, participle from Trano. Comp. of trans and no.

(*b*) Quæ agrees with Carnem. Relative with its antecedent.

FAB.

FAB. V.

De COLUMBÂ *et* PICÂ.

ROGATA Columba cur in (*a*) eodem loco nidum ſemper faceret, cum pulli ſemper (*b*) ſurriperentur, Picæ reſpondit;—ſuadet Simplicitas.

MOR. Vera Probitas nimiùm fallitur.

(*a*) Eodem, ablat. from Idem, eadem, idem. Comp. of is, ea, id, and dem.
(*b*) Surriperentur, a Surripio. Comp. of ſub, and rapio.

FAB. VI.

De TAURIS *et* LEONE.

QUATUOR Tauri unà paſcebantur, quos, etſi eſurit, Leo conjunctos metuit (*a*) aggredi. Hinc falſis verbis conatur (*b*) ſegregare; ſegregatos dovorat.

MOR. Nihil ſtabilius eſt Concordiâ.

(*a*) Aggredi, Infin. Mood. ab Aggredior. Comp. of ad and gradior.
(*b*) Segregare, a Segrego; quaſi "ſeorſim a grege ago."

FAB. VII.

De SOLE *et* NOCTUÂ.

SOLI, quòd ejus (*a*) ſuſtinere Noctua
Radios non poſſet, fecerat convicium.
Ne *me*, ſed oculos, ſol ait, culpa *tuos*.

MOR. Nemo ſeipſum culpat.

(*a*) Suſtinere, Infin. Mood. a ſuſtineo. Comp. of ſub and teneo.

FAB. VIII.

De EQUO ÆGROTO *et* CANE.

EQUUS ægrotabat. Rodere aſſuetus Canis
Projecta cadavera, illam viſitat, rogans
Quomodo ſe haberet: (*a*) *Melius*, inquit, quàm velis.

MOR.

Non ægroto, ſed ſibi conſulit hæres.

(*a*) Benè, meliùs, optimè.

FAB.

FAB. IX.

De CASSITÂ *et* PUERO.

CASSITA interrogata a Puero, qui eam delicatè et mollitèr nutriverat, quocircà in caveam nollet (*a*) regredi; ut *meâ*, (*b*) inquit, voluntate, non *tuâ*, vivam.

MOR. Libertas denegat pretium.

(*a*) Regredi, a regredior, Verb Dep. Comp. of re for retrò and gradior.
(*b*) Inquam, vel Inquio, is, it. Verb Defect.

FAB. X.

De LUPO *et* AGNO.

LUPUM e feneſtrâ videt Agnus (*a*) prætereuntem et audax conviciis eum perſequitur;— Cui Lupus inquit, Non (*b*) *Tu*, ſed *Locus* mihi convicia facit.

MOR.

Tempus et Locus addunt homini audaciam.

(*a*) Prætereuntem. Accuſ. caſe, a prætereiens, participle from prætereo. Comp. of præter and eo.
(*b*) Subaudi, Facis.

FAB. VII.

De SOLE *et* NOCTUÂ.

SOLI, quòd ejus (*a*) sustinere Noctua Radios non posset, fecerat convicium. Ne *me*, sed oculos, sol ait, culpa *tuos*.

MOR. Nemo seipsum culpat.

(*a*) Sustinere, Infin. Mood. a sustineo. Comp. of sub and teneo.

FAB. VIII.

De EQUO ÆGROTO *et* CANE.

EQUUS ægrotabat. Rodere assuetus Canis Projecta cadavera, illam visitat, rogans Quomodo se haberet: (*a*) *Melius*, inquit, quàm velis.

MOR.

Non ægroto, sed sibi consulit hæres.

(*a*) Benè, meliùs, optimè.

FAB.

FAB. IX.

De CASSITÂ *et* PUERO.

CASSITA interrogata a Puero, qui eam delicatè et mollitèr nutriverat, quocircà in caveam nollet (*a*) regredi; ut *meâ*, (*b*) inquit, voluntate, non *tuâ*, vivam.

MOR. Libertas denegat pretium.

(*a*) Regredi, a regredior, Verb Dep. Comp. of re for retrò and gradior.
(*b*) Inquam, vel Inquio, is, it. Verb Defect.

FAB. X.

De LUPO *et* AGNO.

LUPUM e feneſtrâ videt Agnus (*a*) prætereuntem et audax conviciis eum perſequitur;— Cui Lupus inquit, Non (*b*) *Tu*, ſed *Locus* mihi convicia facit.

MOR.

Tempus et Locus addunt homini audaciam.

(*a*) Prætereuntem. Accuſ. caſe, a præteriens, participle from prætereo. Comp. of præter and eo.
(*b*) Subaudi, Facis.

FAB. XI.

De JOVE *et* PERIS.

PERAS impoſuit Jupiter (*a*) nobis duas:
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.

MOR.

Aliena vitia citiùs, quàm noſtra, cernimus.

(*a*) Dativum ferme regunt Verba compoſita cum his præpoſitionibus, &c.

FAB. XII.

De VIPERÂ *et* LIMÂ.

Limam in officinâ repertam Vipera (*a*) cœpit rodere. Inquit Lima ſubridens, Quid ſtultè agis? Tuos priùs (*b*) dentes, quàm me, contriveris: durum enim æs corrodo.

MOR. Fortiori ne oppugna.

(*a*) Cœpit, from Cœpi, a verb defective: So alſo memini, odi and novi.

(*b*) Priuſquam is elegantly divided by the Figure Tmeſis.

FAB. XIII.

De AURIGÂ *et* ROTÂ ſtridente.

CURRUM rogabat Auriga, (*a*) quarè Rota, quæ erat (*b*) deterior, ſtrideret? Roganti Currus reſpondit, (*c*) Ægroti ſemper ſunt querùli atque moroſi.

MOR. Malis oppreſſi homines queruntur.

(*a*) Quare. Adverb. Quâre.
(*b*) Deterior, adjective of the comparative degree; ab obſoleto *Deter*.
(*c*) Subaudi *Homines*.

FAB. XIV.

De PARTU MONTIS.

OLIM rumor erat (*a*) Montem parturire: Vicini homines accurrunt et circumſiſtunt monſtrum ingens expectantes. *Mons* tandem parturit.—Exit *Mus*.

MOR. Jactantia contemptu digna eſt.

(*a*) Montem. Accuſ. caſe with the ſign *That* ſet before the Infinitive mood.

FAB. XV.

De VULTURE *aliisque* AVIBUS.

NATALEM celebrare simulans Vultur Aves ad cœnam invitat, (*a*) Multæ veniunt invitatæ;—eas, quæ veniunt, Vultur blandè accipit;—quas vero accipit, avidè laniat.

MOR.

"Melle sub Hyblæo sæpe venena latent."

(*a*) Climax, vel Anadiplosis continuata.

FAB. XVI.

De CANE *et* BOVE.

IN (*a*) præsepi fœni pleno jacebat Canis. Venit Bos (*b*) ut comedat: Ille latrans prohibet. Bos ait, Dii te (*c*) perdant, qui nec *ipse* fœno vescèris nec *me* finis vesci.

MOR.

Multi aliis invident, quod ipsi nequeunt obtinere.

(*a*) Præsepi. Neuters of the third declen. in *e*, *al*, *ar*, make *i* in the ablative singular.
(*b*) Ut, causam denotans, subjunctivo jungitur.
(*c*) Perdant. Optative mood.

FAB.

FAB. XVII.

De MILVO *et* AGRICOLÂ.

COLUMBAM dum perſequitur, in laqueum incidit
ilvus. Hunc capiens (*a*) dedere cùm vellet neci
gricola; parce, non enim te læſi, ait.
t ille, et iſta, dixit, an te læſerat?

MOR.

Jure mortem ſubit, qui mortem innocenti
arat.

(*a*) Dedere. Infin. Mood, from Dedo.

FAB. XVIII.

De PUERO *et* FORTUNÂ.

AD oram putei dormiebat Puerulus.
Cum Fortuna ſuſcitans, abi hinc, ait;
n puteum namque ſi caderes, non hanc *tuam*
uiſſe culpam, ſed *meam* omnes dicerent.

MOR.

Qui in periculum incurrit, ſæpe Fortunam
ecuſat.

FAB.

FAB. XIX.

De Teſtudine et AQUITÂ.

TESTUDO orabat Aquilam, (*a*) ut volare doceret. Hoc eſſe contra naturam monebat Aquila; illa verò precibus inſtabat. Unguibus ergo illam accepit, in altum tulit, demiſit. Indè (*b*) lapſa conteritur.

MOR.

Ne temnite conſilium.

(*a*) Reſolvi poteſt hic modus per *quod* et *ut*.
(*b*) Lapſa. præt. participle from labor.

FAB. XX.

De PUERO *et* TROCHO.

SONANTE loro dum Trochum exagitat Puer,
Cur cogor, inquit, orbes ut, quales volo,
Ineas, tam crebrò te (*a*) ferire?—Cui Trochus;
Nempe *ut tibi animos plagæ dant, ita et mihi.*

MOR. * * * * * * * * *.

(*a*) Ferio, feris, præterito caret, ferire: The Dictionaries give *percuſſi*; but *percuſſi* rather appertains to *Percutio*.

FAB.

FAB. XXI.

De LEONE *et* RANÂ.

RAUCAM audiens vocem Leo trepidat (*a*) aliquid magni expectans: Parvula tandèm Rana (*b*) aquis egreditur. Tum vero depoſito (*c*) metu approperat Leo et pedibus Ranam proculcat.

MOR. Vani timores ſunt riſu digni.

(*a*) Aliquid. Neutum adjectivum aliquando poſtulat poſt ſe Genitivum.
(*b*) Aquis. Ablat. governed of *e* in compoſition.
(*c*) Metu. Ablat. caſe taken abſolutely.

FAB. XXII.

De PANTHERÂ *et* VULPE.

QUANDO Panthera præ ſe Vulpem temneret, quia pellem ipſa haberet variis coloribus maculatam; Vulpes reſpondit, Decus (*a*) eſſe *ſibi* in *Animo*, *illi* in *Cute*.

MOR.

Bonis Animi cedunt bona Corporis.

(*a*) Eſt pro habeo regit Dativum.

FAB.

FAB. XXIII.

De MILVO ÆGROTO.

MILVUS jam ferme moriens matrem o
Deos ire (*a*) precatum; Cui mater contrà lo
quitur, Ne ſpera (*b*) opem Deorum, quorum
aras tam diu violaviſti.

MOR. Æquum eſt Superos venerari.

(*a*) Precatum. Supine in *um*.
(*b*) Gen. Opis; dat. Opi; acc. Opem;—ab. Ope; a
antiquo Ops.

FAB. XXIV.

De MUSCÂ *et* QUADRIGÂ.

IN ſtadio currebat Quadriga (*a*) cui Muſc
inſidebat. Pulvere autem multo equorum pe
dibus ac rotis excitato, Muſca ſuperbè aieba
Quantum pulveris (*b*) excitavi!

MOR.

Sunt, qui alienam gloriam ſibi ipſis transf
runt.

(*a*) Cui. Dativum ferme regunt verba compoſita, &
(*b*) Pulveris. Genitive caſe governed of the neu
adjective Quantum.

FA

FAB. XXV.

De CANCRO *et* VULPE.

CANCER e mari egreſſus in loco quodam paſcebatur. Vulpes eſuriens videt, accedit, corripit (*a*). Moriturus ait; Digna patior, qui cùm ſim *marinus*, *terreſtris* eſſe volui.

MOR. Naturæ leges obſerva.

(*a*) Moriturus. Future participle, from morior, a deponent verb.

FAB. XXVI.

De LACERTÂ *et* TESTUDINE.

TUI me (*a*) miſeret, aiebat Teſtudini Lacerta; quod (*b*), quo libeat cunque vadere, Tuam ipſa tecum ferre cogaris domum. Quod *utile*, inquit illa, non *grave* eſt onus.

MOR.

Quicquid eſt utile, eſt etiam leve.

(*a*) Miſeret. Verb Impersonal, requiring both an Accuſative and a Genitive caſe.

(*b*) Quo and cunque are divided by the figure Tmeſis.

FAB. XXVII.

De MULIERE *et* GALLINÂ.

OVUM unum quotidie ponentem Gallinam habebat Mulier, quæ ſpe duo (*a*) habendi eam opipare alebat.—Mox pinguior Gallina fit ſterilis.

MOR.

"Luxus et rerum copia faciunt injuriam."

(*a*) Habendi. Gerund in *di*, depending on ſpe.

FAB. XXVIII.

De HERCULE *et* RUSTICO.

RUSTICUS, carro in luto hærente, "duplices tendens ad ſidera palmas," Herculis orat auxilium. Deus exclamat, Equos flagella et ut carrum moveas (*a*) vi (*b*) ſummâ utere; et tunc Hercules vocatus juvabit.

MOR. "Preces otioſi parùm proſunt."

(*a*) Vi. Ablat. from Vis, vim, vi. Plural, vires, virium, &c. entire.

(*b*) Superus, ſuperior, ſupremus *vel* ſummus.

FAB.

FAB. XXIX.

De SENE *et* JUVENE.

SENEM more (*a*) arcûs curvatum Juvenis interrogavit an ſibi arcum vellet *vendere*. Cui Senex, Sis patiens et *pecuniam ſerva*;—ſi enim diu vixeris, Natura tibi arcum *dabit*.

MOR.

Maxima debetur Senibus reverentia.

(*a*) Arcûs. Genitive Caſe of the fourth declenſion.

FAB. XXX.

De PAVONE *et* GRUE.

SE jactat Pavo, variam oſtentat caudam, Gruem præ ſe contemnit. Grus fatetur Pavonem eſſe formoſum; Se tamen, dum Pavo vix (*a*) domos ſupervolat, animato volatu nubes penetrare."

MOR. "Sua cuique eſt virtus."

(*a*) Domus is of the ſecond and fourth declenſion, but wants *me* in the ſingular number, *mi* and *mis* in the plural.

FAB. XXXI.

De CERÂ *et* LATERE.

CERA invidebat Lateri duritiem ſuam :
Quam comparari ab ignium violentiâ
Cùm comperiſſet, ſe ipſa in ignes dejicit.
At miſera penitùs liquitur, et conſumitur.

MOR.

Quod uni prodeſt, alteri ſæpe nocet.

FAB. XXXII.

De ILICIBUS.

RECTÆ et proceræ contemnebant Ilices
Unam inter ipſas, quæ torta et humilis (*a*) foret.
Lignarius autem cum veniſſet huc faber,
Cæduntur omnes *illæ* ; aſt *hæc* relinquitur.

MOR.

Minimi fuiſſe pretii multis profuit.

(*a*) Forem. Verb ſubſtantive defective.

FAB. XXXIII.

De VULPE *et* UVÂ.

FAME coacta Vulpes altâ in vineâ
Uvam appetebat ſummis ſaliens viribus;
Quam tangere (*a*) ut non potuit, diſcedens ait,
Nondum *matura* eſt, nolo *acerbam* ſumere.

MOR. "Quod conſequi non potes, prudens finge te nolle."

(*a*) Ut, pro *tyſtquam*, indicativo jungitur.

FAB. XXXIV.

De POETA *et* AGRICOLA.

AGRICOLA quondam annuum vectigal afferens ad Poetam, cujus arva colebat, et ſolum inter libros offendens rogabat (*a*) Quomodo ſic ſolus potes vivere?—*Solus*, refert, tantum eſſe cœpi, ſimul ac *te* vidi.

MOR. Eruditus nequit eſſe ſolus, niſi interpelletur ab ignaro.

(*a*) Quomodo. Adverb. Quo modo.

FAB. XXXV.

De ASINO *et* HERO.

INDUTUS pelle Leonis Asinus in pascua veniens greges et armenta terretque fugatque. Mox (*a*) in Herum quærentem cum rugitu ferox incurrit. Ast Herus, auribus prehensis, inquit; *Alios* fallas,—*Ego* te bene scio.

MOR. "Quod non es, ne te esse simules."

(*a*) In. Prepositon elegantly repeated.

FAB. XXXVI.

De CALVO.

CALVI equo vecti crines mentitos subita aura sustulit. Comites rident: Ipse quoque ridens ait; Quid mirum est si crines, qui non erant mei, (*a*) abierunt?—Illi enim (*a*) abierant, (*b*) qui, teste naturâ, mei fuerant.

MOR. Ob amissas opes pusilli est lugere.

(*a*) Per Syncopen. (*b*) Subaudi, Existentes

FAB.

FAB. XXXVII.

De CROCODILO *et* VULPE.

DE nobilitate gloriabatur ſuâ
Pluresque Vulpi inſtabat commemorans avos
Crocodilus, (*a*) unde rectâ veniſſet viâ.
At dixit, *unde venerim*, Vulpes, minùs
Me id angit, quàm *quò vadere* liceat mihi.

MOR.

Plures ſciunt unde veniunt, pauci quo vadant.

(*a*) Unde. A. quibus.

FAB. XXXVIII.

De MORTE *et* SENE.

FASCEM lignorum miſer humeros Senex ſuper
Portabat ægrè. Longiore ſed viâ
Fractus, victuſque, faſcem depoſuit (*a*) humi.
Mortem invocavit: — mors advenit: — tum (*b*) ſenex;
Faſcem hunc in humeros ut mihi reponas precor.

MOR.

Mali medela Mors venit, gravius malum.

(*a*) Hi genitivi, humi, domi, &c.
(*b*) Subaudi, inquit.

FAB.

FAB. XXXIX.

De Asino *et* Ranis.

ASINUS ligna ferens per Paludem ibat. Lapsus autem, cùm surgere non possit, alta emittit suspiria. Ranæ verò, suspiriis auditis, conclamant; animal impatiens, *quid faceres*, si hic tanto tempore, quanto nos, mansurus eras?

Mor. Malum levius fit patientiâ.

FAB. XL.

De Gruibus *et* Anseribus.

AGRUM vastabant juncti Gruibus Anseres.
Quod cùm audiissent Rustici, illuc se ferunt.
Grues, simul eos aspiciunt, simul avolant:
Verùm capiuntur Anseres, qui corporis
Onere impediti subvolare non queunt.

Mor.

Urbe captâ, pauperes facilè fugiunt, divites capti serviunt.

FAB.

FAB. XLI.

De PUERO *et* AGRICOLIS.

PUER quidam oves pascens lupum adesse joco (*a*) sæpiùs clamitabat et Agricolis accurrentibus irridebat. Mox lupus seriò adest ;—solitam Puer vocem attollit :—Illi autem frequentèr illusi non subveniunt. Oves impunè lupus prædatur.

MOR. Mendáci, vera quidem dicenti, timemus credere.

(*a*) Sæpe, sæpiùs, sæpissimè.

FAB. XLII.

De FORMICÂ *et* COLUMBÂ.

SITIENS venit ad fontem, ut biberet, Formica : Incidentem forte in puteum Columba, ramo ex arbore dejecto, (*a*) eminùs opitulatur. Ramum Formica conscendens servatur. Mox adest auceps ut capiat Columbam, sed prohibet Formica pedem aucupis mordendo :—Sic tuta avolat Columba.

MOR. Gratiæ sunt meritis referendæ.

(*a*) Eminùs. Adverb, ex *e* et *manu*.

FAB.

FAB. XLIII.

De Furibus *et* Gallo.

FURES in domum quandam ingreſſi nihil niſi Gallum invenerunt. Oranti ut vitam ſervarent, et dicenti ſe utilem eſſe hominibus (*a*) noctu eos ad opera excitando, reſpondent; Eo magìs morieris:—illos enim excitando nos non ſinis furari.

Mor. Ea ſunt bonis commoda, quæ ſunt malis incommoda.

(*a*) Noctu. monoptot. ablat.

FAB. XLIV.

De Carbonario *et* Fullone.

FULLONEM cùm rogaret carbonarius
Ut unà ſecum, quam domum conduxerat,
Habitare vellet; quod rogas, non expedit,
Reſpondit Fullo. Quæ facerem enim *candida*,
Carbonibus ea ſimul *infuſcares* tuis.

MOR.

Malè ea ſocientur, quæ naturâ diſcrepant.

FAB

FAB. XLV.

De CANE *et* COQUO.

DUM Coquus occuparetur Canis in culinam irrumpens cum *corde* arrepto fugit. At Coquus conversus, ut vidit ipsum fugientem, inquit, Heus Tu, scito me, ubicunque fueris, cautè te observaturum: Non enim mihi *cor* (*a*) abstulisti, sed potius mihi *cor* dedisti.

MOR.

" Nocumenta sæpe fiunt Documenta."

(*a*) Abstulisti. Præt. ab Aufero. Comp. of *abs* and Fero.

FAB. XLVI.

De CAPELLIS *et* HIRCIS.

BARBAM Capellæ cum impetrâssent ab Jove,
Hirci mœrentes indignari cæperant,
Quòd dignitatem Feminæ æquâssent suam
Sinite, inquit, illas gloriâ vanâ frui,
Et usurpare vestri ornatum muneris:
Pares dum non sint vestræ fortitudini.

MOR. " Virtus, non Habitus, facit pares."

FAB.

FAB. XLVII.

De TALPÂ *et* MATRE.

MATRI aliquando dicit Talpa, Mater, morum video fructiferam.—Deinde rursùs ait, Thuris odore plena sum:—Et tertiò iterum inquit, ærei lapilli audio fragorem. Mater verò respondit, O Filia, jam percipio te non esse solùm *visu*, sed et *olfactu et auditu* privatam.

MOR. Jactator se ipsum arguit.

FAB. XLVIII.

De LEONE ægroto *et* VULPE.

LEO ægrotabat: Præter Vulpem omnia eum visebant animalia. Ad hanc legatum mittit Leo *videre cupiens cum epistolâ*, in quâ maximam profitetur amicitiam. Vulpes rescribit; Opto ut, Leo, tu citò convalescas, idque Superos (*a*) orabo. Sed

——————" Me vestigia terrent
Omnia te advorsùm spectantia, nulla retrorsùm."

MOR. Ex factis verba sunt judicanda.

(*a*) Verba rogandi, dicendi, vestiendi et celandi duplicem regunt accusativum.

FAB.

FAB. XLIX.

De TAURO *et* MURE.

TAURI pedem Mus momordit inque antrum celeritèr fugit. Taurus vibrat (*a*) cornua, quærit hoſtem, nuſquam invenit: Tum Mus irridens ait, Quia es robuſtus atque ingens, ne propterea (*b*) quemvis contemnito. Nunc te impunè læſit *exiguus Mus*.

MOR. Nemo hoſtem pili æſtimet.

(*a*) Hoc Cornu, indecl. Plural hæc Cornua, &c.
(*b*) Quivis, quævis, quodvis. Comp. of *qui* and *vis*.

FAB. L.

De CICADÂ *et* FORMICÂ.

DUM æſtate Cicada cantat, Formica laborans ſuam meſſem exercet, et grana in antrum trahens in hyemem reponit. Brumâ ſæviente Cicada famelica ad Formicam veniens mendicat victum: Denegat Formica dicens, Se, dum illa *ignava* cantabat, *duritèr* laborare.

MOR. Qui juvenis eſt ignavus, ſenex egebit.

FAB. LI.

De BOVE *et* VITULÂ.

ARANTEM Vitula pinguis aſpiciens Bovem,
Eum contempſit præ ſe, quæ *nihil* ageret.
Sed ſacrificii mox ut advenit dies,
Bovem relinquit dominus, et vitulam immolat.
Quod cùm videret, heus amica, Bos ait,
Laboraviſſe *nunquam* quid te *nunc* juvat?

MOR. Nemo eſt ludibrio habendus.

FAB. LII.

De PAVONE *et* MONEDULÂ.

AVIBUS volentibus creare Regem, Pavo rogabat ut ſe ob pulchritudinem eligerent. Poſtquam aves eum elegerant, monedula, ſuſcepto ſermone, ait;—ſi, te regnante, Aquila nos perſequi aggreſſa fuerit, *quomodo* nobis opem feres?

MOR.

Non pulchritudo, ſed fortitudo et prudentia hominem principatu dignum efficiunt.

FAB.

FAB. LIII.

De MILVO *et* COLUMBIS.

COLUMBÆ cum Milvo olim bellum geſſerunt, quem ut expugnarent regem ſibi elegerunt Accipitrem. Ille rex factus hoſtem, non regem, agit: æque ac Milvus rapit laniatque. Facti Columbas (*a*) pœnitet, præferentes Milvum Accipitri, hoſtem tyranno.

MOR. "Nihil eſt ab omni parte beatum."

(*a*) Pœnitet. Verb impersonal, requires both an accuſative and a genitive caſe.

FAB. LIV.

De APRO *et* VULPE.

APER arbori aſtans acuebat dentes. Vulpe autem rogante, cur ſine ullâ cauſâ dentes acueret, inquit, Non ſine cauſâ hoc facio: Nam ſi periculum me invaſerit, me minime tunc (*a*) acuendis dentibus (*b*) oportebit eſſe occupatum, ſed potiùs *paratis* uti.

MOR. Paratus eſto contra periculum.

(*a*) Acuendis. Gerund turned into a Noun Adjective.
(*b*) Oportet, ebat, ebit, uit, uerat, uerit, ere, &c.—Imp.

FAB. LV.

De DIVITE *et* SERVO.

VIR dives Servum habuit tardi (*a*) ingenii, quem *regem ſtultorum* vocitabat: Ille contumelioſo nomine iratus par pari ſtatuit referre. Mox non ſine cauſâ (ut putabat) in Herum converſus inquit, Utinam eſſem *rex ſtultorum! Te* enim cum *plurimis aliis* ſub imperio tenerem.

MOR. "Pauci in ſe tentant deſcendere."

(*a*) Laus et Vituperium rei, &c.

FAB. LVI.

De VIATORIBUS.

UNUS e duobus iter facientibus annulum (*a*) ſuſtulit gemmatum; quem alter admonebat ne diceret *inveni*, ſed *invenimus*. Mox autem eo, qui perdiderat, perſequente, ſocio currenti ait qui ſuſtulerat annulum, *periimus*. Cui alter, *perii* æquum eſt clamare, non *periimus*.

MOR. Qui non eſt boni, non erit mali particeps.

(*a*) Tollo, ſuſtuli, ſublatum, tollere.

FAB.

FAB. LVII.

De GALLO *et* GEMMÂ.

DUM Gallus eſcam quærit, Gemmam reperit:
Jaces indigno quanta res (inquit) loco!
O ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui,
Olim redîſſes ad ſplendorem maximum.
Nec tibi (*a*) prodeſſe, nec mihi (*b*) quicquam potes
Qui nunc te inveni, potior cui multo eſt cibus.

MOR. "Optima pereunt ſine uſu."

(*a*) Prodeſſe. Infinitive from proſum.
(*b*) Quicquam, or quidquam, from quiſquam.

FAB. LVIII.

De duabus RANIS.

RANIS duabus in palude paſcentibus, æſtate palus ſiccatur: Illæ vero aliam quærentes profundum puteum invenerunt. Quo invento altera alteri clamitat, Deſcendamus in hunc puteum. Sapientior (*a*) autem, Si etiam *hîc* aqua aruerit, quo modo aſcendamus?

MOR. Nihil eſt ſine conſilio tentandum.

(*a*) Subaudi, reſpondit.

FAB.

FAB. LIX.

De PORCO *et* EQUO.

EQUUM phaleris armatum militaribus videns Porcus atque ad se vocans ait, Stulte, quò festinas? In pugnâ fortasse morieris. Tum Equus, Vitam tibi sordido nullâ dignam (*a*) laude *tenuis* adimet cultellus;—Mortem vero meam *maxima* gloria comitabitur.

MOR. Nobilius est fortitèr emori, quam turpitèr vivere.

(*a*) Dignus, indignus, &c.

FAB. LX.

De CERVO *et* FILIO.

CERVO ait Hinnuleus, Pater, tu es (*a*) Canibus et major et celerior, ac porro cornua habes ingentia;—quare ergo eos metuis? Verum quidem dicis, respondit Cervus;—sed utcunquè Canes audivero latrantes, (*b*) nescio quo modo quàm celerrimè me in fugam confero.

MOR.

"Naturam expelles furcâ, tamen usque recurret."

(*a*) Comparativa, cum exponantur per Quam, &c.
(*b*) Nescio is frequently used with qui, quæ, quod.

FAB.

FAB. LXI.

De LEONE *et* PORCO.

LEO cùm ſocium ſibi adſciſcere vellet, multaque animalia ſeſe illi adjungere precibus et votis expoſcerent, ſpretis cæteris, cum Porco ſolùm ſocietatem voluit iniri. Rogatus (*a*) cauſam reſpondit; Quia hoc animal adeò eſt *fidum*, ut amicum in periculo *nunquam* relinquat.

MOR. Res adverſæ probant amicitiam.

(*a*) *Participia regunt caſus ſuorum verborum.*

FAB. LXII.

De CORNICE *et* URNÂ.

Aquæ urnam Cornix olim ſitiens reperit.
Sed altior erat urna, quam pertingere
Ut poſſet ad aquam. Tunc ipſam connititur
Effundere Urnam; nec valet. Tum denique
Injectat lectos ex arenâ ſcrupulos:
Aqua ſublevatur. Hoc pacto Cornix bibit.

MOR. Acuit ingenium neceſſitas.

FAB.

FAB. LXIII.

De VULPE *et* RUBO.

FUGIEBAT acta Canibus Vulpes. In Rubum
Denſum ac rigentem ſe conjecit, et Canes
Eluſit: cumque pungeretur ſentibus,
Etiamne, dixit, qui me ſervant, ſauciant?
At ſauciant, dum ſervent. Nam didici malum
Ferendum eſſe *leve*, ut evitetur *maximum*.

MOR. E duobus malis minus eligendum eſt.

FAB. LXIV.

De RUSTICIS *et* SARMENTIS.

DUO dum quondam Ruſtici ad littus maris
Sederent otioſi; navem conſpicor,
Unus ait, eamque permagnam meherculè.
Paulo poſt dixit alter: ego verò id nego,
Hanc eſſe navem; at eſſe contendo ſcapham.
Expectant: demum Sarmenta appelli vident.

MOR.

Quod procul miraris, ſæpe præſens contemnes.

FAB. LXV.

De Lupo *et* Ove.

LUPUS a Cane morſus et malè affectus miſerè (*a*) humi jacebat. (*b*) Cibi egens Ovem videt rogatque ut potum ex flumine vicino ſibi afferat: Si enim, addens, tu mihi dabis potum, egomet mihi cibum reperiam. Verâ re cognitâ, ait Ovis, Si *ego tibi* potum dabo, *tu* (*c*) *me* cibo utéris.

Mor. " Latet anguis in herbâ."

(*a*) Hi, genitivi Humi, Domi, &c.
(*b*) Participia regunt caſus verborum, &c.
(*c*) Fungor, Fruor, Utor, &c.

FAB. LXVI.

De Cervâ *et* Vite.

FUGIENS Venatores Cerva ſub Vite delituit. Eis autem paululùm præteritis, Cerva ſe latere putans frondibus pampineis veſci incepit. Ramos vero agitatos Venatores (*a*) conſpicati et arbitrati aliquod occultari animal ſagittis Cervam confecêre. Moriens ait, Juſta patior, quia bene facienti nocebam.

MOR.

Qui amicum injuriâ afficit, meritò punitur.

(*a*) Deponent præterite participle.

FAB.

FAB. LXVII.

De NITEDULÂ *et* MUSTELÂ.

NITEDULA, longâ tenuis inediâ, fortè per rimam anguſtiorem in horreum frumenti plenum repſit; in quo cum bene paſta fuit, egredi conantem diſtentus impedit venter. Tentantem *doctiſſima* videns Muſtela exclamat,

——————"Si vis effugere iſthinc
(*a*) Macra cavum repetas arctum, quem macra (*b*) ſubiſti."

MOR. "Opes irritamenta malorum."

(*a*) Macer, macra, macrum.
(*b*) Subeo, is, ivi, itum, ire. Comp. of *ſub* and *eo*.

FAB. LXVIII.

De LUPO *et* GRUE.

OS devoratum fauce cum hæreret Lupi,
Gruem mox perſuaſit promiſſo præmio
Ut gulæ credat colli longitudidem:
Periculoſam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret præmium;
Ingrata es, inquit, ore quæ noſtro caput
Incolume abſtuleris, et *mercedem* poſtulas.

MOR. Non tutum eſt improbos tueri.

FAB.

FAB. LXIX.

De AQUILÂ *et* CORNICULÂ.

COCHLEAM habens Aquila non vi aut arte piſcem potuit educere. Accedens Cornicula ſuadet ſubvolare et e (*a*) ſublimi in ſaxa cochleam præcipitare; ſic enim fore ut concha frangatur. Humi reſtat Cornicula caſum expectans. Præcipitat Aquila, frangitur teſta, ſubripitur piſcis a Corniculâ. Aquila decepta dolet.

MOR. "SERÒ ſapiunt Phryges."

(*a*) Subaudi loco.

FAB. LXX.

De LUPO pelle OVIS induto.

OLIM Lupus pellem Ove detraxit, eâdemque indutus gregi ſe immiſcuit: Ovem ſic latitans quotidie occiſam devorabat. Quod cum Paſtor animadvertiſſet, illum in altiſſimâ arbore captum ſuſpendit. Vicinis rogantibus, cur Ovem ſuſpendiſſet, aiebat, Pellis quidem, ut videtis, eſt *Ovis*, opera autem ſunt *Lupi*.

MOR. "Fronti nulla fides."

FAB.

FAB. LXXI.

De CANE fideli.

NOCTURNUS cum fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an capi posset cibo:
Heus (inquit) linguam vis meam (*a*) præcludere
(*b*) Ne latrem pro re domini? Multùm falleris
Et Cani perito irritos tendis dolos.
Namque *ista subita* me jubet benignitas
Vigilare, facias ne *meâ* culpâ lucrum.

MOR. "Timeo Danaos et dona ferentes."

(*a*) Præcludo. Comp. of Præ and claudo.
(*b*) Ne prohibendi, &c.

FAB. LXXII.

De PISCIBUS e sartagine in prunas desilientibus.

PISCES in sartagine adhuc viventes ferventi oleo coquebantur; quorum unus inquit, Fugiamus hinc, fratres, ne pereamus. Tum omnes e sartagine pariter exilientes in ardentes prunas deciderunt. Majore igitur affecti dolore damnabant consilium quod ceperant, dicentes, Quanto atrociori *nunc* morte perimus!

MOR.

"Incidet in Scyllam, qui vult vitare Charybdim."

FAB.

FAB. LXXIII.

De GLIRIBUS *et* QUERCU.

QUERCUM glandiferam Glires dentibus eruere conjuraverunt, ut propiorem haberent cibum et non victûs gratiâ toties ascendere cogerentur. Sed quidam cæteris sapientior prohibuit dicens; si *nutricem* nostram *nunc* interficiemus, quis *posthâc* nobis nostrisque nepotibus *ulla alimenta* præbebit?

MOR.

Non modò præsentia intuere, verùm futura longè prospicito.

FAB. LXXIV.

De PUERIS *et* RANIS.

PUERI ad inertis stagni venerant aquam
Ranis refertam. Simul in ripâ considunt;
Simul, bacillis instructi ut longis erant,
Modò hanc, modò illam, si caput forte efferat,
Ranam jocantes mulcant, ac dedunt neci.
Tum procul exclamat una: ô barbari, quibus
Hæc tanta *clades* nostra dulcis est *jocus!*

MOR.

Ex alieno dolore voluptatem fuge quærere.

FAB. LXXV.

De LUPO *et* HÆDO.

CAPRA paſtum itura ſtabulo Hædum conclu-
ſerat,
Aperire nemini, ipſa dum redeat, monens.
(*a*) Audiit, et illuc poſt paulo accedens Lupus
Pulſat, vocemque caprinam imitatus jubet
Fores recludi. At Hædus ſentiens dolos,
Non aperiam, inquit: ad me *vox* venit quidem
Caprina; ſed per rimulas video *Lupum*.

MOR. Quicquid agis, cautio eſt adhibenda.

(*a*) Audiit. per Syncopen pro audivit.

FAB. LXXVI.

De HISTRICE *et* LUPO.

LUPUS eſuriens ad Hiſtricem advenerat. Eam verò ſagittis munitam non (*a*) audebat invadere. Aſtutus illi cœpit ſuadere, nè pacis tempore tantum telorum onus tergo portaret; quandoquidèm nihil, cùm prælii inſtaret tempus, ſagittarii portarent. Cui Hiſtrix; adverſus Lupum *omne* Tempus eſt tempus præliandi.

MOR. Serò capiuntur arma, cum hoſtis ingruit.

(*a*) Audebat. from audeo, auſus ſum. a Verb Neuter Paſſive.

FAB.

FAB. LXXVII.

De COLONO *et* ANGUE.

COLONUS Anguem nutriverat. Iratus aliquandò eum percutit ſecuri. Evadit Anguis non ſine vulnere. Poſteà Colonus, ad paupertatem deveniens, ratus eſt (*a*) id infortunii propter anguis injuriam ſibi accidere. Anguem ergò precatur, ut redeat. Ille ait; ſe *ignoſcere*, ſed *redire nolle*; *livorem* vulneris *deſiiſſe*, *ſupereſſe* tamen *memoriam*.

MOR. Ignoſcere alteri injuriam eſt miſericordiæ; cavere autem ſibi eſt prudentiæ.

(*a*) Adjectivum in neutro genere, &c.

FAB. LXXVIII.

De AVARO *et* THESAURO.

THESAURUM Avarus foſſâ condiderat humo,
Quem ſubodoratus clanculùm fur ſuſtulit.
Ergo ille rediens, vacuum ut invenit locum,
Sortem execrari cœpit inſanis modis.
Tum quidam ſapiens, quid, ait, incaſſùm furis?
Ubi *pondus auri* ſterile poſueras, ibi
Repone *lapidem*: tibi (*a*) *tantundem* proderit.

MOR.

"Nil perdit, id qui amittit quo uti neſciat."

(*a*) Diptot. Gen. tantidem; ac. tantundem.

FAB. LXXV.

De Lupo *et* Hædo.

CAPRA paſtum itura ſtabulo Hædum concluſerat,
Aperire nemini, ipſa dum redeat, monens.
(*a*) Audiit, et illuc poſt paulo accedens Lupus
Pulſat, vocemque caprinam imitatus jubet
Fores recludi. At Hædus ſentiens dolos,
Non aperiam, inquit: ad me *vox* venit quidèm
Caprina; ſed per rimulas video *Lupum*.

Mor. Quicquid agis, cautio eſt adhibenda.

(*a*) Audiit. per Syncopen pro audivit.

FAB. LXXVI.

De Histrice *et* Lupo.

LUPUS eſuriens ad Hiſtricem advenerat. Eam verò ſagittis munitam non (*a*) audebat invadere. Aſtutus illi cœpit ſuadere, nè pacis tempore tantum telorum onus tergo portaret; quandoquidèm nihil, cùm prælii inſtaret tempus, ſagittarii portarent. Cui Hiſtrix; adverſus Lupum *omne* Tempus eſt tempus præliandi.

Mor. Serò capiuntur arma, cum hoſtis ingruit.

(*a*) Audebat, from audeo, auſus ſum. a Verb Neuter Paſſive.

FAB.

FAB. LXXVII.

De COLONO *et* ANGUE.

COLONUS Anguem nutriverat. Iratus aliquandò eum percutit ſecuri. Evadit Anguis non ſine vulnere. Poſteà Colonus, ad paupertatem deveniens, ratus eſt (*a*) id infortunii propter anguis injuriam ſibi accidere. Anguem ergò precatur, ut redeat. Ille ait; ſe *ignoſcere*, ſed *redire nolle*; *livorem* vulneris *deſiiſſe*, *ſupereſſe* tamen *memoriam*.

MOR. Ignoſcere alteri injuriam eſt miſericordiæ; cavere autem ſibi eſt prudentiæ.

(*a*) Adjectivum in neutro genere, &c.

FAB. LXXVIII.

De AVARO *et* THESAURO.

THESAURUM Avarus foſſâ condiderat humo,
Quem ſubodoratus clanculùm fur ſuſtulit.
Ergo ille rediens, vacuum ut invenit locum,
Sortem execrari cœpit inſanis modis.
Tum quidam ſapiens, quid, ait, incaſſùm furis?
Ubi *pondus auri* ſterile poſueras, ibi
Repone *lapidem*: tibi (*a*) *tantundem* proderit.

MOR.

"Nil perdit, id qui amittit quo uti neſciat."

(*a*) Diptot. Gen. tantidem; ac. tantundem.

FAB. LXXIX.

De Rustico *et* Amne.

RUSTICUS amnem imbribus tumidum transiturus vadum quærebat. Eam partem tentans, quæ quietior placidiorque videbatur, reperit altiorem quàm expectaverat. Porrò, ubi breviorem tutioremque invenit, ibi majori strepitu amnis decurrebat. Illum secum inquit; quànto melius est vitam aquam *sonantibus* quàm, *silentibus* credere!

MOR.

Minaces minùs quàm quietos metuit sapiens.

FAB. LXXX.

De Camelo *et* Jove.

CAMELUS olim sortis (*a*) pertæsus suæ
Conquestus est, armari Taurum cornibus;
At sese inermem cæteris animalibus
Objectum. Cornua ergo donari sibi
Jovem rogavit. Verùm iratus Jupiter
Implere votum non recusavit modò,
Sed etiam auriculas decurtavit bestiæ.

MOR.

"Fortunâ vivat quisque contentus suâ."

(*a*) Pertæsus. Participle from tædet.

FAB.

FAB. LXXXI.

De CYGNO *et* CICONIÂ.

CYGNUS moriens interrogabatur a Ciconiâ quare ipso penè mortis momento dulciores, quàm in omni vitâ, emitteret modos; tempore quinetiam, cùm cætera animalia exhorrent, et cùm ipse debet gravitèr mœrere. Cui Cygnus respondit, causam habeo gaudendi; (*a*) hinc enim neque (*b*) cibum (*c*) quærendi vexabor curâ, nec aucupum (*d*) insidias metuam.

MOR. "Mors grata miseris."

(*a*) Hinc. Ab hoc tempore.
(*b*) Gerundia et Supina regunt, &c.
(*c*) Gerundia in *di* pendent, &c.
(*d*) Insidiæ, arum. Plur. Fem.

FAB. LXXXII.

De VESPERTILIONE.

AVIBUS pugna (*a*) erat cum Quadrupedibus. Utrinque spes, utrinque metus, utrinque occurrit periculum. Mox vero territa Vespertilio deserit socios et ad hostes fugit. Aquila dux insperato impetu Quadrupedes vincit. Transfugam verò omnes, consilio inito, *uno ore* damnant Vespertilionem ut *nunquam* ad Aves rediret nec diei luce volaret.

MOR. "Miserum amicum turpe est deserere."

(*a*) Est pro Habeo regit Dativum.

FAB. LXXXIII.

De CORVO *et* LUPIS.

LUPOS per ardua montis juga Corvus comitatus partem sibi prædæ postulat, quia eos secutus nunquam deseruisset sed semper individuus comes fuisset. Corvus deinde a Lupis contemnitur, utpote non *eos*, sed prædam comitatus; et non minus *Luporum* quam aliorum animalium, si occiderentur, (*a*) exta voraturus.

MOR.

Quâ mente Homo agit, est inspiciendum.

(*a*) Exta, orum. Plur. Neut.

FAB. LXXXIV.

De NUTRICE *et* LUPO.

MINATUR Nutrix puerum plorantem, nì taceat (*a*) datum iri Lupo: Lupus id forte audiens ad fores spe cibi manet. Mox puer, obrepente somno, tacet. Lupo in nemus redeunte jejuno et inani, Vulpes, ubi sit præda, interrogat. Ille non sine profundo gemitu respondet, *Verba mihi data sunt*; nam plorantem puerum abjicere Nutrix minabatur, sed fefellit.

MOR.

" Cuiquam non est adhibenda fides."

(*a*) Supinum in um cum Infinito *iri*, &c.

FAB. LXXXV.

De LEONE *et* TAURO.

LEONEM fugiens Taurus in Hircum incidit, qui cornibus et feroci fronte eum intentavit. Plenus irâ eum alloquitur Taurus, Non frons *tua* in rugas contracta me territat, sed horrendus *Leo*; qui nisi tergo hæreret meo, *jam* scires quid sit (*a*) mecum contendere, et sanguinem etiam nostro sequi de vulnere invenires.

MOR. "Sat miser est, qui semel est miser."

(*a*) *Cum* is put after Me, Te, Se, Nobis, Vocis, Quo, Quâ, Quî, and Quibus.—As Mecum.

FAB. LXXXVI.

De HOMINE *et* COLUBRÂ.

(*a*) GELU rigentem quidam Colubram sustulit
Sinuque fovit contra se ipse misericors.
Namque ut refecta est, necuit Hominem protinùs:
Hæc, alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit; Ne quis discat prodesse improbis:
Nam qui *malis* auxilium dat, justè dolet;
Is namque pœnas appetit stultitiæ.

MOR. "Malo si bene facis, pejorem facis."

(*a*) Gelu, Indeclin. Neut.

FAB. LXXXVII.

De Ranâ *et* Vulpe.

EGRESSA palude Rana in ſylvis apud feras medicinam profitetur; jactat ſeſe neque Hippocrati nec Galeno velle cedere. Aliis fidem habentibus illuſit Vulpes inquiens; An iſta habeatur artis medicæ perita, cujus facies adeo eſt pallida? Se ipſam *primò* curet, et *poſtea* alios ſanare profiteatur.

Mor. "Medice, cura teipſum."

FAB. LXXXVIII.

De Leone *et* Asino *et* Vulpe.

LEO, Aſinus et Vulpes eunt venatum; ampla capitur præda; prædam partiri jubet Leo. Cum Aſinus æquales poſuerat partes, rugivit Leo; rapit Aſinum et laniat. Vulpes autem aſtutior Leoni longe optimam proponens partem, ſibi vix minimam particulam reſervat. Rogat Leo, a quo ſic docta ſit: Cui illa (*a*) Hujus calamitas docuit, *mortuum Aſinum oſtendens.*

MOR.

"Felix, quem faciunt aliena pericula cautum."

(*a*) Subauditur, Inquit.

FAB.

FAB. LXXXIX.

De ARUNDINE *et* OLIVÂ.

ARUNDINEM Oliva temnit quia ad Notum, ad Boream, ad omnem flatum inclinat; Ipſa autem fuit fortior, fuit durior, et majore vi potuit reſiſtere. Huic dicto ne unum quidem verbum reddidit Arundo. Paulò pòſt turbine vehementi aſpirans ventus radicitùs evulſit Olivam totis viribus ſibi obſiſtentem: Aſt Arundo *cedendo* flatibus ſalutem facilè eſt aſſecuta.

MOR.

" Superanda omnis fortuna ferendo eſt."

FAB. XC.

De VULPE *et* LEONE.

VULPES nullum antè Leonem conſpicata cùm illi olim ex improviſo occurriſſet ita conſpectum ejus pertimuit, ut fere mortua decideret: Quod quandò rurſus acciderat, viſu equidem exterrita eſt, ſed non ita ut priùs. Tertiò autem, cum eundem Leonem in civitate intuita eſſet, non modò non territa, ſed etiam *confidenter* adiens, cum illo collocuta eſt.

MOR. Conſuetudo rem reddit familiarem.

FAB.

FAB. XCI.

De SENE *et* ASINO.

ASELLUM in prato timidus pascebat Senex,
Et hostium clamore subito territus
Suadebat Asinum fugere, ne possent capi.
At ille lentus; (*a*) Quæso num *binas* mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert (*b*) meâ
Cui serviam, clitellas dum portem meas.

MOR.

"Nil præter Domini nomen mutant pauperes."

(*a*) Quæso. Pl. quæsumus. Verb Defect.
(*b*) Interest and Refert govern Meâ, Tuâ, Suâ, Nostrâ, Vestrâ and Cujâ.

FAB. XCII.

De CERVO.

CERVUS in claro fonte se conspicatus probat procera et ramosa cornua, sed tibias damnat exiles. Fortè, dum judicat, intervenit venator; Ocyor Euro fugit Cervus, fugientem insectantur avidi canes. Sed cùm condensam intravisset sylvam, implicata sunt ramis cornua. Tum demum laudabat *tibias*, et *cornua* damnabat, quæ fecêre ut præda esset canibus.

MOR.

"Placent, quæ officiunt; quæ conferunt, nocent."

FAB.

FAB. XCIII.

De URSO *et* APIBUS.

ICTUS ab Ape Urſus tantâ irâ pereitus eſt ut alvearia, quæ Apes habitabant, tota unguibus diſcerperet. Tunc Apes univerſæ, cum domos dirui, cibaria auferri, filios (*a*) occidi viderent, agmine facto Urſum invaſerunt. Vix vivus, ex earum impetu elapſus, ſecum dixit, Quantò melius erat ferre *unius* Apis ictum, quam *tot* in me hoſtes meâ *iracundiâ* concitare!

MOR. "Ira furor brevis eſt."

(*a* Occidi. Ab. Occido. Comp. of ob and cædo.

FAB. XCIV.

De ARANEÂ *et* HIRUNDINE.

ARANEA Hirundini irata, quæ muſcas ſuum cibum capiebat, ut eam caperet retia in foribus, per quas ſolebat volitare, ſuſpenderat. Hirundo autem advolans retia cum textrice per (*a*) äerem portabat. Tum Aranea in äere pendens et jam jam peritura dixit, Quàm juſtè hæc patior, quæ *minima* (*b*) volatilia inſecta magno labore *vix* capiens credidi *tam magnas* aves poſſe comprehendere!

MOR. Ne viribus majora aggredere.

(*a*) Dieresis [··] denotes two Syllables.
(*b*) Inſecta, orum. neut. caret ſingulari.

FAB. XCV.

De MEMBRIS *et* VENTRE.

PES et Manus incusabant Ventrem, quod ab eo otioso lucra ipsorum vorarentur. Jubent (*a*) aut laboret aut ali nè putet. Supplicat ille iterum atque iterum; negat tamen Manus alimentum. Ubi cœperunt omnes Artus deficere, tum Manus esse voluit officiosa; verùm (*b*) id serò. Nam Venter cibo defuetus et debilis cibum repulit. Sic cuncta Membra invidiâ cum Ventre pereunte pereunt.

MOR.

"Membrum eget Membro; Amicus eget Amico."

(*a*) Subauditur, Ut. (*b*) Subauditur, Voluit.

FAB. XCVI.

De URBANO HERO *et* MALO.

RUSTICUS ex Malo dulcissima poma legebat,
Unde dare Urbano dona solebat Hero.
Ast Herus, illectus frugum dulcedine, Malum
Transtulit in laribus proxima rura suis.
At quia Malus erat senior, translata repentè
Aruit, et proles cum genetrice perit.
Heu! malè *transfertur*, senio cum induruit *Arbor*,
Poma satis fuerat *carpere*; dixit Herus.

MOR. "Cupiditati impone frænos."

FAB.

FAB. XCVII.

De AVARO *et* INVIDO.

DUO Homines orabant Jovem, Cupidus et Invidus: Apollo mittitur a Jove ut eorum votis (*a*) satisfiat. Phœbus dat utrique liberam optandi facultatem hâc conditione, ut quodcunque Unus petîisset id ipsum Alter acciperet duplicatum. Hæret diu Avarus *nihil* putans fore satis: petit tandem non pauca, et Socius accipit duplum.—Invidus autem petit at *uno* privetur oculo, gaudens Socium *ambos* esse amissurum.

MOR. " Avaritiam quid potest satiare?—Invidiâ quid potest esse dementius?"

(*a*) Satisfit, iebat, &c.—Verb Imp. cum Dativo.

FAB. XCVIII.

De PASSERE *et* LEPORE.

OPPRESSUM ab Aquilâ fletus edentem graves
Leporem objurgabat Passer. Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est? Quid ita cessârunt pedes?
Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum rapit
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus (*a*) semianimus mortis in solatium (*b*)
Qui modò securus *nostra* irridebas mala,
Simili querelâ fata deploras *tua*.

MOR. Ne insultes miseris.

(*a*) Semianimus. Ex Semi et Animus.
(*b*) Subaudi, Inquit.

FAB. XCIX.

De JOVE et SIMIÂ.

JUPITER, ut sciret quis animantium scitissimos ederet liberos, omnia jubet convenire. Aderat jam alitum pecudumque genus; inter quas et Simia deformes catulos brachio gestat. Cum adveniisset, nemo a risu potuit temperare: quin etiam Jupiter ipse admodùm profusè risit. Ibi continuò Simia ipsa voce altâ loquitur; Imò novit et Jupiter judex noster *meos* catulos longè *omnes*, quotquot adsunt, (a) præcellere.

MOR. "Suum cuique est pulchrum."

(a) Non pauca ex his mutant Dativum in alium casum.

FAB. C.

De JACTATORE, *qui iter fecerat.*

QUIDAM aliquamdiù peregrinatus, quando iterùm domum reverterat, et multa alia in diversis a se regionibus nobilitèr gesta jactans prædicabat et hoc potissimùm, quod (a) *Rhodi* omnes in certamine saliendi superavisset; addens ejusdem rei Rhodios, qui adfuerant, testes esse. Ei unus assistentium respondens inquit, O Homo, si verum istud est quod loqueris, quid tibi opus est testibus? Ecce *Rhodum!* Ecce certamen saliendi!

MOR. Veritas non teste caret.

(a) Omne verbum admittit genitivum oppidi nominis, &c.

FAB.

FAB. CI.

De Buccinatore.

BUCCINATOR quidam ab hoſtibus capitur, adducitur. (a) Trepidare ille, ſupplicare ut parcant innoxio; ſe, quando nihil armorum unquam præter unam buccinam portaverit, hominem ne *potuiſſe* quidem occidere, hedum *voluiſſe*. Illi contrà ſævis (b) tùm verbis tùm verberibus intonant, Nihil agis, ſceleſte, ſupplicitèr rogando, et ſine morâ morieris: Tu enim, quanquam *ipſe* nequeas dimicare, *alios* ſonitu tubæ ad pugnam hortaris.

Mor. "Nihil refert feceriſne, an perſuaſeris."

(a) Subaudi. Incipit.

(b) Tum geminatum ſimiles caſus conjungit.

FAB. CII.

De Amicis et Urſâ.

DUO Amici unà iter faciunt, quibus Urſa (a) obviam venit. Quâ proſpectâ Unus ſpe ſalutis citò arborem aſcendit: Alter, cum viribus Urſæ non auderet obſiſtere, ut mortuus jacuit humi ſupinus et anhelitum retinuit. Urſa, quæ mortuis parcit, putans eſſe cadaver intactum reliquit. Socius poſteà deſcendens rogat, quid Urſa dixiſſet jacenti in aurem. Hoc monuiſſe ait, Nè cum *hujuſmodi* amicis ampliùs iter facerem.

Mor. Rara avis eſt vera Amicitia.

(a) Quædam adverbia admittunt dativum, unde deducta ſunt.

FAB. CIII.

De EQUO *et* CERVO.

CERVUS Equum, pugnâ melior, communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes Hominis frænumque recepit.
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frænum depulit ore.
Sic, qui pauperiem (*a*) veritus, potiore metallis
Libertate caret: dominum vehet improbus, atque
Serviet æternùm, quia *parvo* neſciat uti.

MOR. "Diſce parvo eſſe contentus."

(*a*) Veritus *eſt.*

FAB. CIV.

De SATYRO *et* VIRO.

SATYRUS, Deus nemorum olim habitus, Virum nive obrutum atque algore quaſi enectum miſeratus in antrum accipit. Spirantem autem in manus cauſam (*a*) rogat; Ut *caleſiant*, Vir reſpondet. Paulo poſt calidiori polentâ allatâ, Vir manum cum cibo ad os admovens iterum ſpirat. Interrogat Satyrus, Cur id faceret; ille inquit, ut *frigeſcat*. Statim ergo ait Satyrus; Abi in malam rem qui ex *uno* ore et *calidum* et *frigidum* potes promere.

MOR. "Vos, Proteum cavete."

(*a*) Verba Rogandi, docendi, veſtiendi duplicem regunt Accuſ.

FAB.

FAB. CV.

De ADOLESCENTIBUS *et* COQUO.

DUO Adoleſcentes apud Coquum aliquid ſeſe ſimulant eſſe empturos. Coquo alias res agente, carnem alter e caniſtro ſurripit; dat ſocio ut ſub veſte occultet. Coquus, ſurreptam ſibi carnis partem ut novit, (*a*) furti utrumque cœpit accuſare. Qui carnem ſuſtulerat, per Jovem jurabat ſe non *habere*; qui verò habebat, jurabat ſe non *abſtuliſſe*. *Me* quidem, inquit Coquus, fur latet; non autem *eum* latebit per quem juraviſtis.

MOR. "Deus omnia cernit."

(*a*) Verba accuſandi, damnandi, monendi, &c.

FAB. CVI.

De INIMICIS.

DUO Inimici unà per mare navigabant; et, cùm alter alterum in eodem loco non pateretur manere, alter in puppi, in prorâ alter ſedebat. Ortâ autem tempeſtate, cum navis jam ſubmergi cœpit, qui erat in puppi gubernatorem rogabat, quæ pars navis prior eſſet obruenda. Et cum proram gubernator dixiſſet, ait ille, Mors quidem mihi non minimè eſt moleſta, quoniam viſurus ſum meum Inimicum ante me priùs morientem.

MOR. Eſt qui nihil vitam curat, ſi modò inimicum perdat.

FAB. CVII.

De SOLE *et* AQUILONE.

SOL et Aquilo certant uter ſit fortior. Conventum eſt, vires in viatorem experiendo, ut ferat palmam qui excuſſerit manticam. Boreas horriſono nimbo viatorem aggreditur: At ille non deſiſtit, amictum gradiendo duplicans. Aſſumit vires Sol, nimbum paulatim amovet, exercet radios. Viator incipit æſtuare, ſudare, anhelare: Tandem progredi impos captat frigus opacum et, manticâ abjectâ, reſedit: Ita Soli contigit victoria.

MOR. "Vis conſilî expers mole ruit ſuâ."

FAB. CVIII.

De AGRICOLÂ *et* CICONIÂ.

GRUIBUS Anſeribuſque ſata depaſcentibus, laqueum prætendit Agricola: Capiuntur grues, capiuntur anſeres, capitur Ciconia. Supplicat illa, innocentem ſeſe clamitans; et nec gruem eſſe nec anſerem, ſed avium omnium optimam, quippe quæ parenti ſedulò ſemper inſervire eundemque ſenio confectum alere conſueverit. Inquit Agricola, Fruſtrà pro te loqueris: poſtquam cum *nocentibus* te cepimus, cum *eiſdem* quoque morieris.

MOR. "Noſcitur e ſociis."

FAB.

FAB. CIX.

De Lupo *et* Agno.

LUPUS ad caput fontis bibens videt Agnum procul infrà bibentem ; accurrit, Agnum increpat, quòd fontem turbaverat. (*a*) Trepidare Agnus, ſupplicare ut parcat innocenti ; Se, quando longè infrà biberet, potum Lupi turbare ne *potuiſſe* quidem, nedum *voluiſſe*. Lupus contra intonat ; Nihil agis, ſacrilege ; ſemper (*b*) obes : pater, mater, omne tuum inviſum genus ſedulò mihi damna infert. Tu mihi hodie pœnas dabis.

Mor.

" Ut canem cædas, facilè invenies baculum."

(*a*) Subauditur, Incipiebat.
(*b*) Obſum, obes, obfui, obeſſe, obfuturus.

FAB. CX.

De Graculo ſuperbo.

TUMENS inani Graculus ſuperbiâ
Pennas Pavoni quæ deciderant ſuſtulit
Seque exornavit ; deinde contemnens ſuos
Immiſcuit ſe Pavonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi
Fugantque roſtris. Malè multatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit notam.

Mor. " In propriâ pelle quieſce."

FAB.

FAB. CXI.

De MURE *et* RANÂ.

BELLUM gerebat Mus cum Ranâ: De paludis imperio (*a*) certabatur. Pugna erat vehemens et anceps. Mus callidus ſub herbis latitans ex inſidiis Ranam aggreditur. Rana viribus melior, pectore et inſultu valens, aperto (*b*) Marte hoſtem laceſſit. Haſta utrique erat juncea. Quo certamine procul viſo Milvus approperat; dumque præ ſtudio pugnæ *neuter* ſibi cavet, Milvus rapit ac laniat *utrumque* bellatorem.

MOR. Libido dominandi vitam objicit periculo.

(*a*) Qui quidem caſus interdum non exprimitur.
(*b*) *Marte*, put by the figure Metonymy for *Bello*.

FAB. CXII.

De RANÂ *et* BOVE.

IN prato quodam Rana conſpexit Bovem,
Et tacta invidiâ tantæ magnitudinis
Rugoſam inflavit pellem: Tum natos ſuos
Interrogavit, an Bove eſſet latior:
Illi negârunt. Rursùs intendit cutem
Majore niſu, et ſimili quæſivit modo,
Quis major eſſet? Illi dixerunt, Bovem.
Novillimè indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

MOR. "Cuique ſua dos eſt."

FAB.

FAB. CXIII.

De Fonte *et* Amne.

Fontem ſpernebat Amnis, (*a*) unde Originem
Trahebat; illum vix exili murmure
Scaturientem audiri, et inter herbulas
Tenuem et egenum delitere dictitans:
At ſe per populos urbeſque celeberrimas
Fragore magno volvere fluctus ſuos.
Senſit ſuperbum; et *noſtra*, dixit Fons, niſi
Suppeditet urna, *quid* habeas (*b*) quod jactites!

Mor. Tuæ ne auctorem dignitatis vitupera.

(*a*) Unde. a quo. (*b*) Propter quod.

FAB. CXIV.

De Vespis, Perdicibus, *et* Agricolâ.

Veſpæ olim et Perdices ſiti concitæ ad Agricolam eunt, potum ſupplices petunt, et pro aquâ magnas referre gratias pollicentur. Perdices vineam fodere promittunt, ut vites plenos producant racemos. Veſpæ vineam cuſtodire promittunt, ne Fures fructum rapiant. Illis inquit Agricola: Duos habeo Boves, qui nihil promittunt, eandem verò hanc operam præſtant. Itaque *illis* malo, quàm *vobis*, aquam præbere.

Mor. Vanis et inutilibus nihil eſt ſubveniendum.

FAB.

FAB. CXV.

De AQUILÂ *et* VULPE.

VULPIS proles foràs excurrebat, et ab Aquilâ comprehenſa matris fidem implorat. Accurrit illa; ut captivam prolem dimittat Aquilam precatur. Aquila (*a*) nacta prædam ad pullos ſubvolat. Vulpes, correptâ face, quaſi arborem incendio abſumptura, inſequitur clamitans, Tu ipſa nunc te tuoſque, ſi potes, tuere. Trepidans Aquila ac incendium metuens inquit, Parce mihi parviſque liberis, et quicquid tuum habeo ſine morâ reddam.

MOR. Nemini infer injuriam.

(*a*) *Nacta.* Participle from Nanciſor.

FAB. CXVI.

De TIGRIDE *et* VULPE.

VENATOR jaculis agitabat feras. Tigris jubet omnes feras abſiſtere; ſeſe unam, ait, bellum confecturam. Pergit Venator jaculari: Tigris oppidò ſauciatur. Fugientem e prælio telumque extrahentem percontatur Vulpes, Quiſnam tam fortem Belluam tam duriter vulnerâſſet? Reſpondet ſe vulneris auctorem neſcire, verùm ex vulneris magnitudine ſe conjecturam capere, aliquem fuiſſe *Virum.*

MOR. Vires ſuperat Ingenium.

FAB.

FAB. CXVII.

De ABIETE *et* DUMIS.

FERTUR olim Abies despicere Dumos; jactat se esse proceram, locari in ædibus, cum velo stare in navibus; Dumos autem esse humiles, viles, nulli usui idoneos. Quorum quidem tale fuit responsum; Tu sane, Abies, tuis gloriare bonis et nostris insultas malis: Sed non tua refers mala, et nostra præteris bona. Cum *tu* sonante detruncare securi, quàm velles tum *nobis*, qui tuti sumus et intacti, *te* esse similem!

MOR. "Decidunt Turres graviore casu."

FAB. CXVIII.

De VULPE *et* CICONIÂ.

VULPES ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitâsse, et illi in patinâ liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia:
Quæ Vulpem cùm revocâsset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit. Huic rostrum inserens
Satiatur ipsa et torquet convivam fame.
Vulpes (*a*) lagenam quando frustra lamberet,
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

MOR. "Par pari refertur."

(*a*) Subaudi, locuta est.

FAB.

FAB. CXIX.

De CORVO, ASINO, *et* AGASONE.

IN prato Aſellus dum tranquillè paſcitur,
Exulceratum in ejus dorſum devolat
Corvus, tunditque roſtro ſauciam cutem.
Rudit ille; ſaltat; nec poteſt depellere
Volucrem importunam; jamque tam lepidos
jocos
Præbet, ut Agaſo non modò ipſe Bajulo
Suo infelici non ferat opem, at rideat.
Heu! dixit Aſinus, iſta *bis* videor pati
Vulnera, dum *ridet*, quem *juvare* me oportuit.

MOR. Deridendo miſeris additur miſeria.

FAB. CXX.

De EQUO INCULTO, *ſed* VELOCI.

EQUI complures ad Circenſes Ludos adducti fuerant. Phaleris ornati ſunt pulcherrimis, præter unum, quem cæteri et incultum et certamini tali ineptum irridebant. Sed ubi tempus currendi advenit, ſigno tubæ dato, cuncti carceribus exſiluêre. Tum demùm apparuit quanto hic, paulo ante irriſus, cæteros velocitate ſuperaret. Omnibus enim aliis longo poſt ſe intervallo relictis, palmam aſſecutus eſt.

MOR. Viri, non ex habitu, ſed ex virtute ſunt judicandi.

FAB.

FAB. CXXI.

De AGRICOLÂ *et* FILIIS.

AGRICOLA jam ferme moriens ſuos filios convocavit, quos ita allocutus eſt: Filii mei, ego jam e vitâ diſcedo; Vos autem, ſi quæ in vineâ a me occultata ſint, quærendo omnia invenietis. Illi igitur, rati theſaurum illic defoſſum eſſe, omnem vineæ terram poſt patris interitum ſuffoderunt: Theſaurum verò expectatum non invenerunt, ſed vinea benè foſſa plurimum fructum produxit.

MOR. Labor eſt homini Theſaurus.

FAB. CXXII.

De HIRCO *et* VULPE.

CUM decidiſſet Vulpes in puteum inſcia
Devenit Hircus ſitiens in eundem locum:
Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor
Et copioſus?—Illa fraudem moliens;
Deſcende, Amice, tanta bonitas eſt aquæ
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe barbatus: Tum Vulpecula
Evaſit puteo nixa celſis cornibus,
Hircumque clauſo liquit hærentem vado.

MOR. Quocunque modo ſe ſervat improbus.

FAB. CXXIII.

De MERCURIO *et* STATUARIO.

MERCURIUS ſcire volens quanti apud homines eſſet, in domum ivit Statuarii, humanâ ſpecie aſſumptâ: et visâ Jovis ſtatuâ rogabat, Quanti poſſim hanc emere? Cum autem Statuarius dixiſſet, (*a*) Drachmâ; ſubriſit Deus. Deinde ait, Et quanti Junonis? Aliquantulum (*b*) Pluris, alter reſpondit. Visâ et ſuâ ipſius ſtatuâ, credens maximam de ſe (cum Nuncius ſit Deorum et lucroſus) apud homines haberi rationem, rogavit de *Se*. Statuarius ait, Si *Illas* emeris, *Hanc* tibi dabo.

MOR. Jure temnitur, qui plus æquo ſibi tribuit.

(*a*) Quibuſdam Verbis ſubjiciter nomen pretii in Ablat.
(*b*) Excipiuntur hi Genitivi, &c.

FAB. CXXIV.

De MONEDULÂ *et* COLUMBIS.

MONEDULA, Columbas bene nutritas in quodam columbario obſervans, ſeſe dealbavit, ivitque ut eodem ipſa cibo frueretur. Hæ verò, dùm tacebat, ratæ eam eſſe Columbam permiſerunt: Sed cum aliquandò oblita vocem edidit, tunc ejus cognitâ naturâ, percutiendo expulerunt. Eo privata cibo rurſum ad Monedulas redîit: At Illæ ob colorem ignotam Ipſam a ſuo cibo abegerunt. Sic (*a*) *duorum* appetens *neutro* (*b*) potita eſt.

MOR. "Propriâ ſub pelle quieſcas."

(*a*) Participia, cum fiunt Nomina, genitivum exigunt.
(*b*) Potior aut genitivo aut ablativo jungitur.

FAB.

FAB. CXXV.

De Musico.

BENE incruſtratam calce Muſicus domum,
Rudis canendi, habebat: in quâ dum canit,
Sibi reſonantem plenius vocem putat
Valde canoram. Factus hìc ſuperbior,
Credit oportere protinùs ſe in publicum
Dari theatrum. At experiendi gratiâ
Illuc profectus, triſtem et exilem ſonum
Cùm diſtribueret tertios vix ad gradus,
Concordibus cum ſibilis turba excipit.

Mor. Sui amor homines in errorem ducit.

FAB. CXXVI.

De Ovibus *et* Lupis.

Oves Lupoſque, pace factâ, junxerat
Solemne fœdus, utrinquè obſidibus datis.
Oves dedêre vim canum; catulos Lupi.
Sed illæ cùm vix incepiſſent ſimplices
Liberiùs agere, et pace properarent frui;
Catuli ecce, matrum deſiderio perciti,
Ululatus edunt. Audiunt Lupi: irruunt,
Fidemque læſam criminantur, ac Oves
Laniant heu! deſtitutas præſidio canum.

MOR.

" Pax fraudulenta bello ipſo eſt pejus malum."

FAB. CXXVII.

De LUPO *et* VULPE.

IN otio, cum prædæ ſatis eſſet, degebat Lupus. Accedit Vulpes; otii cauſam ſciſcitatur. Senſit Lupus inſidias fieri ſuis epulis; ſimulat morbum eſſe cauſam; orat Vulpem ire precatum Deos. Illa, dolens dolum non ſuccedere, adit Paſtorem, latebras Lupi indicat addens hoſtem ſecurum poſſe inopinatò opprimi. Aggreditur Paſtor, Lupum occidit. Illa potitur et antro et prædâ: Sed illi fuit breve ſceleris gaudium; nam paulo (*a*) poſt idem Paſtor illam quoque interfecit.

MOR. "Invidus alterius rebus macreſcit opimis."

(*a*) *Ante* et *Poſt* ablativo non raro junguntur.

FAB. CXXVIII.

De EQUO *et* ASINO.

EQUUS, phaleris ornatus, ingenti hinnitu per viam currebat: ei onuſtus Aſellus fortè obſtabat. Frœna mandens ſpumantia ferox Equus clamitat, Quid, ignave, obſiſtis Equo? Diſcede, aut pedibus te proculcabo. Aſinus timidè cedit. Equo autem curſum intendenti crepat venter; hinc curſui inutilis ornamentis ſpoliatur. Poſteà plauſtrum miſerè trahentem videns Aſinus affatur, Heus (*a*) bone vir, quid iſthuc ornati eſt? Ubi aurata ſella, bullata cingula? Ubi nitidum frœnum?

MOR. "Noſce teipſum,"

(*a*) Ironia.

FAB. CXXIX.

De Sene *et* Filiis.

COMPLURES habebat Senex adoleſcentulos inter ſe ſemper diſcordes: quos Pater elaborans trahere ad mutuum amorem, appoſito faſciculo, jubet ſingulos brevi circundatum funiculo effringere. Cùm igitur totis viribus frangere non poſſent, ſolvit Pater deditque ſingulis virgam: Sic omnes virgæ facilè franguntur. Tum facto ſilentio inquit Pater, Mei filii, ſic concordes vos vincere poterit nemo; ſed, ſi mutuis ſævietis vulneribus atque bellum agitabitis inteſtinum, hoſtibus prædæ tandem eritis.

Mor. "Concordiâ parvæ res creſcunt, diſcordiâ magnæ dilabuntur."

FAB. CXXX.

De Alaudâ *et* Pullis.

PULLOS in ſegete poſitos monet Alauda ut, dum ipſa abeſt, cautè auſcultent ſi fiat ſermo de meſſe. Redeunti a paſtu matri Pulli narrant, dominum agri opus vicinis mandaviſſe. Reſpondet, nihil eſſe periculi. Alio die trepidi aiunt, rogatos ad metendum eſſe amicos. Iterum illa jubet, ut ſint ſecuri. Tertiò ut audivit ipſum dominum cum filio ſtatuiſſe poſtero (*a*) mane cum falce meſſem intrare; Jam, inquit, tempus eſt fugiendi. *Vicinos* et *Amicos* non timui; ſed timeo *Dominum*, cui res cordi eſt.

Mor. Quod vis fieri, alteri ne mandes.

(*a*) Mane, Subs. N. nom. acc. & abl. c. i.

FAB. CXXXI.

De Æsopo *et* Petulante.

Æsopo quidam petulans lapidem impegerat,
Tanto, inquit, melior; assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus, Plus non habeo (*a*) meherculè,
Sed unde recipere possis monstrabo tibi.
Venit ecce dives et potens: huic similitèr
Impinge lapidem, et dignum accipies præmium.
Persuasus ille fecit quod monitus fuit;
Sed spes fefellit impudentem audaciam,
Comprehensus namque pœnas solvit debitas.

" Mor. " Erit ubi pœnas det procax audacia."

(*a*) Viri solent jurare, per Herculem, Mulieres per Castorem; Utrique per Pollucem.

FAB. CXXXII.

De Piscatore *et* Piscibus.

PISCATOR quidam imperitus, tibiis ac reti assumptis, juxta maris littus accedit atque saxo super quodam sedebat. Imprimis cœpit calamum inflare, putans cantu se pisces facilè esse capturum. Cantu verùm inutili, calamum deposuit, rete in mare demisit ac plurimos cepit pisces. Sed cum ex reti Pisces extraheret atque eos saltantes videret, non insulse ait, O improba Animalia! dum canebam, saltare noluistis: Nunc, quia canere cesso, saltus datis assiduos.

Mor. Quæ fiunt suo tempore, probè fiunt.

FAB.

FAB. CXXXIII.

De Muscâ *et* Mulâ.

Musca in temone ſedit, et Mulam increpans
Quam tarda es! inquit; Non viscitiùs progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Reſpondit illa: Verbis non moveor tuis,
Sed iſtum timeo, ſellâ qui primâ ſedens
Jugum flagello temperat lento meum,
Et lora frœnis continet ſpumantibus;
Quapropter aufer frivolam inſolentiam:
Quando (*a*) *ambulandum*, et quando *currendum*
eſt, ſcio.

Mor. Vanas deride minas.

(*a*) Cum ſignificatur neceſſitas, &c.

FAB. CXXXIV.

De Apolline *et* Viro.

VIR quidam facinoroſus; (*a*) Delphos ſe contulit, Apollinem tentaturus; habenſque in manu ſub pallio paſſerculum, et accedens ad tripodas Eum interrogabat dicens, Quod habeo in dextrâ, vivitne, an mortuum eſt? prolaturus paſſerculum vivum, ſi ille mortuum reſpondiſſet; contrà mortuum, ſi vivum reſpondiſſet; Statim enim clam ſub pallio occidiſſet, priuſquam proferret. At Deus, ſubdolam Viri artem intelligens, dixit, O Conſultor! Utrum mavis facere, facito; penes *te* namque arbitrium eſt.

Mor. Mentem divinam nihil latet, nihil fallit.

(*a*) Verbis ſignificantibus motum ad locum additur nomen oppidi in accuſativo.

FAB.

FAB. LXXXIX.

De LEONE *et* MURE.

LEO æstu cursuque defessus sub umbrâ fronde super viridi jacebat. Grege verò Murium ejus tergum percurrente, unum e multis assurgens comprehendit. Supplicat captivus: Se esse indignum, cui Leo irascatur, clamitat. In nece tam parvulæ bestiolæ reputans nihil esse laudis, captivum dimittit. Paulo post dum per saltum currit, incidit in plagas: rugire licet; exire non licet. Rugientem Mus audit; vocem agnoscit; in retia repit: nodos quærit, invenit, corrodit. Leo e plagis evadit.

MOR. Prudens timeas vel vili homini nocere.

FAB. CXXXVI.

De PHILOMELÂ *et* ACCIPITRE.

ALTÂ in quercu sedebat Philomela: more suo sola canebat. Eum Accipiter, dum cibum quærit, forte audiens advolat et rapit. At Philomela, se interituram videns, accipitrem precatur, ut se missam faciat, et ad majores aves cursum dirigat. Eam accipiter torvè conspiciens, ait; Ego quidèm essem stultissimus, si cibum, quem manibus teneo, amplioris spe pastûs dimitterem.

MOR. Inops consilii spe alitur.

FAB.

FAB. CXXXVII.

De EQUO *et* LEONE.

AD Equum comedendi causâ venit Leo. Carens autem præ senectute viribus, cœpit artem meditari: medicum se profitetur: verborum ambage Equum moratur. Hic dolo dolum, artem opponit arti. Fingit se nuper in loco spinoso pupugisse pedem: orat inspiciens ut sentem medicus educat. Paret Leo. At Equus vi summâ Leoni calcem impingit, et quàm celerrimè se in pedes conjicit. Leo vix tandem ad se rediens non sine gemitu clamat, *Pretium ob stultitiam fero.*

MOR. Simulatio est simulatione capienda.

FAB. CXXXVIII.

De MULÂ.

RECREATA posito largitèr Mula hordeo
Lasciviebat, inordinatos impetus
Molita; et inquit, Mihi fuit videlicèt
Pater *equus*, esset cursu qui celerrimus,
Cui similis ego sum. Sed paulo post contigit,
Ut eadem cessaret, ubi currendum fuit,
Vixque ambulare posset. Tum dixit gemens;
Equi putabam celeris me esse filiam;
Sed *asinum* mihi fuisse nunc memini patrem.

MOR. In prosperis oblitos sortis suæ admonent adversa.

FAB.

FAB. CXXXIX.

De LEONE annis confecto.

LEO, qui juventute multos ob crudelitatem fecerat inimicos, senectute solvit pœnas. Par pari reddunt bestiæ: dente aper, cornu petit taurus. Imprimis asellus, vetus ignaviæ nomen cupiens abolere, verbis et calcibus strenuè insultat. Cum gemitu ait Leo; Hi, quibus olim nocui, jam vicissim nocent et non sine causâ; sed Illi, quibus aliquando profui, jam vicissim non prosunt, imo etiam sine causâ obsunt. *Stultus* fui, qui multos fecerim inimicos; *stultior*, qui falsis amicis confisus fuerim.

MOR.

In secundis rebus ne sis ferox, neu credulus.

FAB. CXL.

De CANE venatico *et* HERO.

CANEM venaticum jam senescentem instigat Herus; frustra hortatur; tardi sunt pedes; nequit properare. Prehenderat feram; fera edentulo elabitur. Herus increpat verbo et verbere. Canis respondet, Sibi debere ignosci; jam senescere; olim juvenem fuisse ac strenuum. Sed, ut video, nil placet sine fructu;

fructu; juvenem amâsti, senem odisti. Amâsti prædabundum, odisti tardum, edentulum. Sed si gratus esses, quem olim *juvenem* lucri causâ dilexisti, nunc *senem* lucrosæ juventutis gratiâ diligeres.

MOR. "Nil, nisi quod prodest, carum est."

FAB. CXLI.

De CANE *et* GALLO.

CANIS et Gallus, initâ societate, iter faciebant. Vespere autem superveniente Gallus, conscensâ arbore, dormiebat, at Canis ad radicem arboris excavatæ. Cum Gallus, uti solet (*a*) noctu cantasset, Vulpes audiens accurrit, et stans infrà rogabat ut ad se descenderet, quòd cuperet ob tam amabile carmen complecti. Gallus ait, Janitorem priùs excita ad radicem dormientem ut, cùm ille aperuerit, descendam. Vulpem, quærentem ut ipsum vocaret, Canis statim prosiliens dilaceravit.

MOR.

Si vires deficiunt, prudens astu utere.

(*a*) *Noctu* est monoptoton; sic est *astu*.

FAB.

FAB. CXLII.

De LEONE *et* VENATORE.

LITIGAT Leo cum Venatore: hominis fortitudinem contemnit; ſuam ſummis laudibus extollit. Longa poſt jurgia, Venator ducit Leonem ad mauſoleum, in quo ſculptus erat Leo caput in gremium Viri deponens. Negat Leo id eſſe (*a*) ſatis indicii. Homines enim, quodcunque volunt, poſſunt ſculpere. Quod ſi Leones forent artifices, virum ſub pedibus Leonis ſculptum brevi tempore videres.

MOR.

Quiſque et dicit et facit, quod ſuæ cauſæ proderit.

(*a*) Adverbia quantitatis genitivum admittunt.

FAB. CXLIII.

De RUSTICO *et* JUVENCO.

ERAT Ruſtico Juvencus, vinculi omniſque jugi impatiens. Homo aſtutus, ne cornibus peteret, cornua reſecat. Tum jungit, non currui, ſed aratro; ne, ut ſolet, calcibus herum pulſaret. Stivam ipſe tenet, gaudens prudenti

prudenti curâ effeciſſe, ut jam et a cornibus et ab ungulis tutus conſervaretur. Sed quid evenit? Taurus reſiſtens et ſpargens pedibus os caputque Ruſtici luto ac arenâ applet.

MOR.

Sunt qui nullâ arte, nullo conſilio poſſunt tractari.

FAB. CXLIV.

De HOMINE *et* DEO *ligneo.*

HOMO quidam Deum ligneum domi habebat. Eum orabat, ut aliquid boni ſibi tribueret. Sed quanto magis orabat, tanto res domi erat anguſtior. Demùm iratus, cruribus Dei prehenſis, caput parieti illidit. Excuſſo igitur capite, multum auri exſiliit. Homo aurum colligens ait,—Perverſus es atque perfidus. Nam, dum in honore te habui, *nihil* profuiſti; percuſſus vero *boni maximum* contuliſti.

MOR.

Homo malus, ſi quando prodeſt, id vi coactus efficit.

FAB. CXLV.

De PASTORE *et* MARI.

PASTOR juxta littus Maris ſedebat; quod cùm ſemel placidum aſpiceret navigandi ſtudio captus oves pro dactylis commutavit. Illis navi impoſitis, cùm in altum navigaret et tempeſtate ſine ſpe ſalutis fluctuaret, quæ in navi erant omnia projecit, atque in portum vix ſe recepit. Deindè cùm oves paſceret ac rurſum Mare jam tranquillum videret, ſocio ſuo ipſam tranquillitatem Maris laudanti ridiculè ait, *Mare iterum dactylos cupit.*

MOR. "Experientia docet."

FAB. CXLVI.

De GUBERNATORE *et* NAUTIS.

VEXATÂ ſævis navi tempeſtatibus,
Inter Nautarum lachrymas et mortis metum
Faciem ad ſerenam ſubitò mutatur dies.
Ferri ſecundis tuta cœpit flatibus,
Nimiâque Nautas hilaritate extollere.
Factus periculo tum Gubernator ſophus,
Probanda vobis eſt, ait, ſententia;

Parce

Parcè gaudere oportet, et ſenſim queri:
Totam quia vitam miſcet dolor et gaudium.

MOR.

" In fecundis time, in adverſis ſpera."

FAB. CXLVII.

De MERCURIO *et* VIATORE.

VIATOR quidam votum fecit Mercurio, quòd ſi quid reperiret, ejus rei dimidium ipſi offerret. Fortè igitur invenit peram amygdalis dactyliſque refertam: Peram capiens amygdalarum nucleos et carnes dactylorum ipſe comedit. Deinde templum Mercurii ingreſſus atque aram manibus tenens verbis ridiculis inquit Deo, Votum, Mercuri, nunc perſolvo tibi: Nam quas equidem res inveni, earum tibi offero dimidium, oſſa (a) ſcilicet dactylorum ac teſtas amygdalarum.

MOR. Avari Deos contemnunt.

(a) Scilicet, i. e. ſcire licet.

FAB. CXLVIII.

De FELE *et* VULPE.

CUM aliquando Vulpes in colloquio, quod illi cum Fele erat, varias sibi esse artes jactaret, adeò ut *quasi peram* haberet dolis *refertam*; Felis respondit, sibi unicam solam esse artem, cui fideret, si quid esset discriminis. Medio in sermone insperatus canum accurrentium tumultus auditur. Illicò Felis in arborem altissimam subsilit: Vulpes interim a canum agmine cincta capitur ac devoratur.

MOR.

Consilium verum pluribus dolis est præferendum.

FAB. CXLIX.

De LUSCINIÂ *et* ACCIPITRE.

LUSCINIA ab Accipitre famelico comprehensa, cùm jam se ab eo devorandam esse intelligeret, blandè eum rogabat ut se dimitteret. Porrò pollicita est pro tanto beneficio ingentem mercedem esse relaturam. Cùm autem accipiter eam interrogaret, quid gratiæ sibi referre posset;—Aures, inquit, tuas can-

tibus mellifluis mulcebo. At ego, ait accipiter, malo *ventrem*, quam *aures*, mulceri. Sine enim *cantibus* poſſum vivere; ſine *cibo* non poſſum.

MOR.

Utilia ſunt jucundis anteponenda.

FAB. CL.

De AQUILÂ *et* CORVO.

AQUILA celsâ de rupe devolans agnum e grege arripuit. Quod cùm Corvus videt, æmulatione movetur: vehementi ſtrepitu ac ſtridore in arietem irruit; atque ungues in vellere ita implicat, ut ſe jam motu alarum nequeat explicare. Hunc Paſtor (*a*) implicitum videns accurrit; corvum prehendit; pennis alarum inciſis, (*b*) pueris præbet ludibrio. Ingemens Corvus ſecum ait;—Hei mihi! Priùs *Aquilam* me *fuiſſe putavi*: nunc verò me *Corvum eſſe cognoſco*.

MOR.

Aude nihil ſupra vires.

(*a*) Implicitum, vel implicatum.
(*b*) Sum eum multis aliis geminum admittit Dativum.

FAB. CLI.

De ASINO *et* LEONE.

CÙM Asino Gallus aliquandò pascebatur. Leone autem aggresso Asinum, Gallus canebat; et Leo (aiunt enim Leonem Galli vocem timere) fugit. Asinus ratus propter se fugere statim aggressus est Leonem. Ut verò procul hunc prosecutus est, quò non ampliùs Galli vox perveniebat, conversus Leo devoravit. Hic autem moriens clamabat, Me miserum et dementem! Ex pugnacibus enim non natus parentibus, cujus gratiâ in aciem irrui?

MOR. Pauci se nôrunt.

FAB. CLII.

De MUSTELÂ *et* MURIBUS.

MUSTELA, cum annis et senectâ debilis
Mures veloces non valeret assequi,
Involvit se fariâ et obscuro loco
Abjecit negligentèr. Mus escam putans
Assiluit, et compressus occubuit neci:
Alter similitèr; deindè periit tertius.
Aliquot secutis, venit et retorridus,

Qui ſæpe laqueos et muſcipulam effugerat,
Proculque inſidias cernens hoſtis callidi ;
Sic *valeas*, inquit, ut farina es, quæ jaces!

MOR. "Aſtutus aſtu non capitur."

FAB. CLII.

De VESPERTILIONE *et* MUSTELÂ.

VESPERTILIO, cum in terram cecidiſſet, a Muſtelâ captus eſt et jam jam moriturus pro ſalute rogabat. Hâc verò dicente non poſſe ipſum dimittere quòd naturâ volucribus omnibus inimica erat ; ait, non avem, ſed murem eſſe, et ſic dimiſſus eſt. Deindè, cùm iterum cecidiſſet et ab aliâ Muſtelâ captus eſſet, ne voraretur orabat. Hâc autem dicente cunctis ſe inimicam eſſe muribus ; ait, *non murem, ſed avem eſſe*, atque iterum dimiſſus eſt. Sic, nomine bis mutato, bis ſe ſervavit.

MOR.

Quocunque modo vitæ fugito periculum.

FAB. CLIII.

De VULPE, quæ caudam amiſerat.

OLIM Vulpes e laqueo abſciſſâ caudâ evaſit ; Cùm ex pudore vitam ſibi mortem putaret

taret, dolo excogitavit alias Vulpes inducere ut, sub communis commodi specie, sibi singulæ caudam abscinderent, et sic suum dedecus levaretur. Itaque ad unam Vulpibus congregatis suadet ut caudam sibi abscindant; differens, Caudam non modò esse Vulpibus dedecori, sed etiam oneri gravi atque inepto. Una ex iis facetè respondit, Heus, Soror, si res ista *tibi soli* conducit, quapropter *aliis quoque* idem consulis?

Mor. Qui aliis videtur consulere, sæpe sibi soli consulit.

FAB. CLIV.

De Homine, qui Amicos tentavit.

HOMO quidam, admodùm dives et liberalis, magnam habebat Amicorum copiam, quos ad cœnam sæpissimè invitabat; ad quam libentissimè accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus et periculis sibi essent fideles, omnes pariter convocavit, dicens, Obortos sibi esse inimicos, ad quos perdendos ire statuerat; quare correptis armis rogabat ut secum irent et illatas sibi ulciscerentur injurias. Tum omnes, præter duos, se excu-

sant

cusant. *Cæteris* repudiatis, illos *duos* singulari amore prosecutus est.

MOR.

" Donec eris felix, multos numerabis Amicos."

FAB. CLV.

De LEPORIBUS *et* RANIS.

LEPORES congregati suam deplorabant vitam, quòd fuit periculis obnoxia et timoris plena; ab omnibus enim ferè animalibus vorabantur. Melius itaque putabant esse semel mori, quàm toto vitæ tempore timere. Hoc igitur confirmato, impetum fecerunt simul quasi in paludem delapsuri et perituri. Ranæ circa paludem sedentes, strepitu cursûs audito, in eam territæ insiliebant. Tum quidam ex Leporibus sapientior ait, Sistite, ô socii, nihil grave molimini in vos ipsos: *Et nobis* alia sunt animalia timidiora.

MOR. Miseri ab aliis, graviora patientibus, recreantur.

FAB. CLVI.

De MULIERE *et* MARITO.

MULIER quædam Virum ebrium habebat, quem a vitio liberare volens tale quid commi-

comminiſcitur. Ipſum ebrietate gravatum, mortui (*a*) inſtar ſenſu carentem in ſepulchrum allatum depoſuit. Cùm autem ſobrium eſſe putaret, januam pulſat ſepulchri: Ille ait, Quis eſt, qui pulſat januam? Uxor ficto ore reſpondet, Mortuis cibaria fero. At ille, Potiùs *potum*, quàm *cibum*, mihi affer; maximè crucias, quando *cibi*, non *potûs* (*b*) meminiſti. Hæc autem pectore percuſſo, Hei mihi miſeræ, inquit! non ſolùm non emendatus es, ſed pejor dirâ conſuetudine.

MOR.

" Malâ aſſueta relinquere difficile eſt."

(*a*) *Inſtar et Ergo* genitivum admittunt.
(*b*) *Memini* genitivum vel accuſativum admittit.

FAB. CLVII.

De Æsopo ludente.

Puerorum in turbâ quidam ludentem Atticus
Æſopum nucibus cùm vidiſſet, aſtitit
Et quaſi delirum riſit: Quod ſenſit ſimul
Deriſor, potiùs quam *deridendus* Senex,
Arcum retenſum poſuit in mediâ viâ:
Heus, inquit, Sapiens, expedi quid fecerim.
Concurrit populus; Ille ſe torquet diu,
Nec quæſtionis poſitæ cauſam intelligit.
Noviſſimè ſuccumbit: Tum victor Sophus;

Citò

Citò rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris:
At ſi laxâris; cum voles, erit utilis.

MOR.

Otio corpus animuſque recreantur.

FAB. CLVIII.

De HIRUNDINE *et* AVIBUS.

CUM primùm cœptum eſt ſeri linum, Hirundo ſuadet Avibus impedire ſementem, dictitans ſibi fieri inſidias. Irrident Illæ; ſtolidam vatem Hirundinem vocant; Caſſandram vaticinantem contemnunt. Surgente jam lino et vireſcente, rurſùm monet ſata evellere. Iterùm irrident: Matureſcit linum: Segetem agmine facto populari hortatur. Cum ne tunc quidem conſulentem audire vellent; Hirundo, relicto Avium cœtu, Hominis amicitiam ſibi conciliat; init cum eo fœdus, cum eo habitat, cantu eum demulcet. Cæteris e lino *Avibus* fiunt retia et laquei; *Hirundo* evadit periculum.

MOR.

Præſtat eſſe Prometheum, quàm Epimetheum; Ante rem præſtat, quàm poſt rem, capere conſilium.

FAB.

FAB. CLIX.

De JOVE *et* BUBULCO.

BUBULCUS armentum Taurorum pascens amisit vitulum ; lustrando omnia vicina (*a*) loca, plurimum indagando tempus consumpsit. Ubi invenire nusquam potuit, precatus Jovem pollicitus est, si furem, qui cepit vitulum, ostenderet, hœdum in sacra oblaturum. Cæterum proficiscens in quercetum quoddam, invenit a Leone devorari vitulum. Trepidus igitur et insperato subitoque visu perterritus, manibus in cœlum extensis, in genua procumbit inquiens, O Jupiter omnipotens, promiseram tibi hædum me daturum esse, si furem invenirem ; nunc taurum tibi promitto oblaturum, si *hujus* ungues et furorem effugero.

MOR.

Non rarò petimus prece, quæ concessa nocerent.

(*a*) Locus. sing. Mas. plur. Mas. et. Neut.

FAB. CLX.

De MERCURIO *et* TIRESIÂ.

TIRESIÆ vaticinationem Mercurius cupiens an vera esset cognoscere, furatus ipsius boves

boves ex rure venit ad ipsum in urbem similis factus homini. Cum Tiresias boves esse amissas audivisset, assumpto Mercurio exivit augurium aliquod de fure consideraturus; et hunc jubet dicere quam avem viderit. Mercurius autem primò dixit, Se aquilam vidisse ad dextram a sinistrâ volantem. Hic non ad se id esse cum dixisset, secundò cornicem super arbore quâdam sedentem vidit, et modò superiùs aspicientem, modo (*a*) oculos demissam, vati refert. Et is, re cognitâ, ait, Hæc Cornix jurat per cœlum et terram, si *tu* velis, meas *me* recepturum boves.

MOR.

Adversùs Furem hoc sermone utendum est.

(*a*) Subauditur *secundùm*.

FAB. CLXI.

De ARIETE *et* LEONE.

ARIETI tam bona adjumenta cornuum,
Capitisque tantam firmitatem indulserat
Natura, ut omnes lanigeros inter greges
Regnaret unus late, nec aries sibi
Obsistere ullus qui valeret jam foret.

Elatus ergo tot ſuis victoriis
Taurum etiam ſtultus ad certamen provocat.
Audax arietat; et repercuſſus cadit
Taurinâ fronte: Campum metitur jacens.
Tunc fermè exanimis, priſtinam ſuperbiam
Damnavit ipſe miſer, et hanc vocem edidit:
Nunc, qui ſim, juſta calamitas tandem docet.

MOR.

Cum potentioribus non eſt certandum.

FAB. CLXII.

De APRO *et* RUSTICO.

APRO vaſtanti ſegetes Ruſticus abſcindit auriculam. Iterùm deprehenſo abſcindit alteram. Tertiò captum in urbem portat, ſui patroni lautitiæ deſignatum. Sectâ jam in convivio belluâ, nuſquam apparet *cor*. Hero valdè irato, et coquos cauſam rogante, neſcii omnes ſilent. Tum villicus altâ voce clamat; Patrone, non mirum eſt non apparere *cor*, Credo enim ſtultum Aprum nunquàm *cor* habuiſſe. Si *cor* habuiſſet, *toties* punitus non in novam pœnam ad meas ſegetes *toties* rediiſſet.

Ita

Ita Ruſticus rem explicat. Omnes verò convivæ ob ſtultitiam (*a*) cachinnari, quati, emori.

MOR.

Multi ita vivunt ut, an cor habeant, ſit dubitandum.

(*a*) Ponuntur interdum ſola per Ellipſin verba infinita.

FAB. CLXIII.

De OVIBUS, *et* PASTORE.

PASTOR Oves autumni tempore in quoddam quercetum egerat. Mox poſitâ ſub quercu veſte, aſcendit, et fructum incipit decutere. Ut glandes comedant, Oves ſtatim congregantur. Inter verò edendum neſciæ Paſtoris veſtem unà devoraverunt.) Sed cùm Paſtor deſcendiſſet, et veſtem non potuiſſet reperire, ſed quod erat actum vidiſſet, irâ permotus exclamat; O peſſima omnium animalia! Vos *aliis* vellera ac veſtes *præbetis*; a *me* verò, qui vos nutrio ac defendo, et veſtem *furripitis*.

MOR.

Sunt qui peregrinos beneficio, cognatos injuriâ afficiunt.

FAB. CLXIV.

De ERICIO *et* TALPA.

ADVENTARE hyemem quidam Ericius videns,
Talpam rogavit, proprio in ſpecu locum
Sibi ut vim contra frigoris concederet.
Conceſſit Talpa. Sed receptus hoſpitem
Ut ſe movere cunque vult, Ericius
Pungit moleſtis hinc et hinc aculeis.
A ſe ergo Talpa hunc ſentiens damno ſuo
Receptum, ferre nec diutiùs volens,
Placidis precatur verbis, *exire* ut velit,
Quandoquidem anguſtus ambos non capit locus.
At eſſe gaudens ille, ubi benè eſt ſibi,
Hinc *exeat*, ait, *qui manere non poteſt.*

MOR.

Neminem tecto excipe, quem non potes ejicere.

FAB. CLXV.

De RUSTICO *et* JURISCONSULTO.

RUSTICUS quidam gravi lite implicitus ad quendam Juriſconſultum acceſſit, ut eo patrono ſe explicaret. At ille aliis negotiis impeditus renunciari jubet, ſe non poſſe nunc illi vacare ; Homo abeat aliàs rediturus. Ruſticus, qui huic ut veteri doctoque amico plurimum fidebat, ſæpius rediens nunquam admiſſus

admissus est. Tandem hædum pinguem et nondùm lacte depulsum secum deferens ante Jurisperiti ædes stabat, et hædum vellicans coegit balare. Janitor, qui ex præcepto heri dona portantes statim solebat admittere, auditâ voce hœdi, januam illicò aperit atque hominem jubet introire. Tunc Rusticus ad hædum conversus inquit, Gratias *tibi* ago, mi hædule, qui tam faciles mihi *has* effeciſti *fores*.

Mor. Quæ non designat Largitio?

FAB. CLXVI.

De Ægroto *et* Medico.

ÆGROTUS quidam a Medico interrogatus, Quo modo se habuisset, respondit, Præter solitum se in sudorem fuisse resolutum. Cui Medicus ait, Illud bonum est. Altero autem die iterum ab eodem interrogatus, Quo modo se haberet, inquit, vehementi algore fuisse correptum et vexatum. Et id quoque, inquit Medicus, bonum est. Tertiò, cùm ab eodem Medico interrogatur, respondit, Se quicquid stomacho oblatum fuerat vix digerere potuisse. Rursùm Medicus ait, Id ad salutem dandam optimum fuisse. Posteà a familiari interrogatus, Quomodo sese habebat, dicit

Ægrotus, Signa ſalutis, ait Medicus, ſunt plurima et optima; illis tamen diſpereo ſignis: *Benè* (*a*) habeo, ſed *morior*.

MOR.

Dum vita manet, ſpem dare Medici cupiunt.

(*a*) Subaudi *Me*.

FAB. CLXVII.

De SCURRÂ *et* ANTISTITE.

SCURRA quondam calendis Januarii ad Antiſtitem divitem quidèm, ſed avarum accedens numiſma aureum ſtrenæ nomine petivit: Antiſtes hominem inſanire dixit, qui crederet tantum pecuniæ ſibi in ſtrenam dari. Tum ſcurra argenteum nummum cœpit efflagitare. Sed cùm ille hoc quoque nimium ſibi videri diceret, æreum quadrantem ut ſaltem ſibi traderet, orabat. Sed cum hunc quoque non poſſet ab Antiſtite extorquere, inquit, Reverende Pater, benedictionem tuam ſaltem mihi pro ſtrenâ imperti. Reſpondit ille, Mi Fili, flecte genua ut tibi benedicam. At ego, inquit Scurra, iſtam tuam benedictionem tam vilem recuſo; ſi enim nummum æreum valeret, eam mihi nunquam concederes.

MOR.

Ne Scurra petulantèr hominem ſacrum eludat.

FAB.

FAB. CLXVIII.

De CANE *et* ASINO.

DUM blandiretur Canis hero et familiæ, herus et familia Canem demulcent. Aſellus id videns imo de pectore gemit; (*a*) cœpit eum pigere ſortis; inique putat comparatum Canem eſſe gratum cunctis paſcique de menſa herili, idque otio ludoque conſequi; ſeſe contrà clitellas portare, cædi flagello; nunquam eſſe otioſum, et cunctis tamen odioſum. Si hæc fiant blanditiis, eam artem, quæ tam utilis ſit, ſtatuit ſectari. Tempore igitur quodam redeunti domum hero rem tentaturus obviàm procurrit, ſubſilit, pulſat ungulis. Exclamante hero, accurrêre ſervi, et ineptus Aſellus, qui ſe *urbanum* credidit, fuſte verberatur.

MOR. "Non omnia poſſumus omnes."

(*a*) *Cœpit* Impersonali junctum Impersonalis formam induit.

FAB. CLXIX.

De REGE ÆGYPTIO *et* SIMIIS.

REX quidam Ægyptius aliquot Simias inſtituit ut ſaltandi rationem perdiſcerent. Ut enim

enim nullum animal ad figuram hominis propiùs accedit, ita nec aliud actus humanos aut meliùs aut libentiùs imitatur. Arte igitur saltandi edoctâ, saltare cœperunt insignibus ornatæ purpureis et personatæ. Multo jam tempore miris modis placebat spectaculum; donec e Spectatoribus facetus quispiam nuces, quas clanculùm in sinu gestabat, in medium abjecit. Ibi statim Simiæ, simul atque nuces vidissent, oblitæ choreæ *id* esse cœperunt *quod* anteâ fuerant; ac repente e saltatricibus in Simias redierunt: Contritis personis, dilaceratis vestibus, non sine maximo spectatorum risu, pro nucibus inter se pugnabant.

MOR.

"Cœlum, non animum, mutant, qui trans mare currant."

FAB. CLXX.

De VIDUÂ *et* ASINO viridi.

VIDUA, ut domi haberet comitem, nubere cupiebat; sed non audebat, verita irrisiones Vulgi, qui maledictis eas solet incessere quæ ad secundas transeant nuptias. Annosa verò amica, quàm contemnendæ essent populi voces, hæc arte monstravit. Jussit Asinum, quem Vidua habebat, viridi colore depingi et

per

per omnes urbis vicos circumduci. Quod dum fieret, tanta admiratio ab initio omnes invaserat ut non solùm pueri, verùm etiam senes hâc re insolitâ moti Asinium animi gratiâ comitarentur. Deinde, cùm Animal itidem quotidiè per urbem duceretur, desierunt admirari. Sic etiam, inquit anus Viduæ, eveniet tibi. Si enim virum acceperis, aliquot dies eris fabula Vulgi: Deinde hic sermo cessabit.

MOR.

Usus rem mirabilem reddit familiarem.

FAB. CLXXI.

De SIMIO *et* DELPHINE.

CONSUETUDO cùm esset Nautis Melitenses catulos et Simios habere in navigandi solamen, quidam secum habebat Simium. Cùm autem perveniset ad Sunium, Atticæ promontorium, tempestatem vehementem fieri contigit. Eversâ navi et omnibus natantibus, Simius quoque natabat. Delphis quispiam ipsum conspicatus atque Hominem ratus dorso positum levabat ad terram perferens. Ut verò in Piræeo Athenienssium fuit navali, rogabat Simium, an genere esset Athenienssis? Cum verò hic diceret, et claris ibi natum esse parentibus; rogavit, An et Piræeum sciret? Ratus

Ratus autem Simius de *Homine* eum dicere, ait, Et valde *amicum* esse sibi et *familiarem*. At Delphis, tanto mendacio indignatus, ipsum submergens occidit.

MOR.

"Mens sit justa, oratio mendacii expers."

FAB. CLXXII.

De LEPORE *et* TESTUDINE.

TESTUDO, cùm ejus pedes Lepus derideret, ei inquit subridens; Si periculum in cursu feceris, quòd te velocior sim, liquidò cognosces. Cui Lepus ait, Te profectò fugit, quid mei valeant pedes: Sed judicem eligamus, qui cursum et terminum nobis definiat. Eligunt igitur Vulpem, omnium bestiarum sagacissimam, quæ et locum et cursûs terminum constituit. Testudo, omni negligentiâ et segnitie remotâ, haud quievit donec ad terminum pervenit. Lepus verò pedibus fidens securè quievit; mox autem somno excitatus, quantum valuerunt pedes ad terminum cucurrit. Ibi cùm Testudinem jam reperit quiescentem, cum rubore fatetur *se* a *Testudine* esse superatum.

MOR.

"Vigilandum est ei, qui cupit vincere."

FAB.

FAB. CLXXIII.

De Adolescente pigro

